DE
SOPHOCLIS VOCIBUS SINGULARIB

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
IN AUDITORIO MAXIMO
DIE X. M. NOVEMBRIS MDCCCLXXVI
HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ARNOLDUS JURIS
RHENANUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAROLUS SCHULTE, CAND. PHIL.
FRANCISCUS WOKER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM
FORMIS PLOETZIANIS
MDCCCLXXVI

HENRICO KEIL

GUILELMO SCHMITZ

S.

Sophoclei sermonis quae sit propria ars et ratio cum a tot viris doctis sagaciter quaesitum esse et illustratum videamus, mirari licet neminem adhuc fuisse, qui, id quod Homero Friedlaenderus [1]), Todtius [2]) Aeschylo praestitit, vocabula quae ille dixerit nove et singulariter collegerit et ad genera sua revocarit. Nam quae factae sunt hac de re quaestiones, eae tantum abest ut omnes fabulas et cuiusque generis verba a Sophocle novata contineant, ut aut ad partem tragœdiarum pertineant, aut certae cuiusdam speciei voces exhibeant [3]). Itaque cum hoc ad iudicandam Sophoclis dictionem non nullius momenti esse mihi videretur, verba quae illi propria sunt ac singularia congerere et disponere mihi proposui. Atque quod Quintilianus I, 5, 22 in universum de Graecis ait, ‚feliciores esse fingendis nominibus', hoc imprimis in Sophocle accidere nemo nunc negat. Nam licet Aeschylus ubertate et audacia novorum verborum longe praestet, elegantia tamen et subtilitate, cum nil moliatur inepte et inconsulte, superior est Sophocles, qua de differentia Bernhardyus [4]) apte disputat ita: ‚Aeschylus besass einen reichen, weniger mannichfaltigen Sprachschatz, der durch die Menge kühner

¹) Friedländer, Zwei homer. Wörterverzeichnisse. Jahrbücher für Philol. III. Suppl. 1857—1860. p. 713 sq.

²) Todt, De Aeschylo (vocabulorum) inventore. Halle 1855. Progr. d. Königl Paedagog.

³) Wolffius in fine editionis suae ἅπαξ εἰρ. Electrae, Oedipodis Tyr., Antigonae, Aiacis, sed imperfecte, enumerat. — Weicker, De fragmentis quae ad primordia artis Sophocleae referuntur. Halle 1862 Progr. d. Königl. Paedag. In appendice ex septem fabulis ea exhibet ἅπαξ εἰρ. quae ex duobus nominibus facta sunt.

⁴) Griech. Literaturgesch. II b. p. 210 ed. III.

schroffer und energischer Wörter auffiel und die Tragœdie vom Herkommen schied; Sophocles verfuhr hier mit Mässigung und Auswahl, auch in Erfindung treffender Wörter, und vor allem zeugt seine körnige, mit Geist erlesene Phraseologie von tiefer Reflexion und berechnender Methode.'

Quamquam eorum quoque quae Aeschylus novaverat multa in usum suum contulit, nec quaecumque nunc apud solum Sophoclem legimus vocabula, ab eo profecta esse contendere licet. Immo in tanta auctorum iactura concedendum erit nonnulla iam ab aliis ficta fuisse; plurima autem, ac praecipue composita, quibus potissimum Sophoclem delectari veteres[1]) iam interpretes observarunt, Sophoclea esse negari nequit. Atque hac quidem dissertatione non ea tantum exhibebo, quae apud nullum veterem scriptorem praeter Sophoclem leguntur, sed ea quoque aliena non duxi a disputatione nostra, quae praeterea semel bisve apud scriptores recentioris aevi inveniuntur. Iam vero cum nostra aetate critici quidam de Sophocle bene meriti, in quorum studia cadunt verba, quibus Nauckius in praef. ad Soph. tragœdias p. VI. suam ipsius rationem denotat, cum dicit: ,Ubicunque nobis reperire licet quod tradita lectione melius sit, corruptam iudico librorum lectionem; neque enim tam infantem arbitror Sophoclem, quem nos *ἐπίγονοι* meliora possimus edocere', magnum numerum et versuum et verborum quae novo aliquo et inusitato modo dicta sunt in suspicionem vocarint, hoc imprimis quaerendum curavimus, utrum iis locis, qui in quaestionem nostram cadunt, iure id fecerint, an nonnunquam magis probanda sint haec Quintiliani X, 1, 24 verba: ,neque id statim legenti persuasum sit, omnia quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta: nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur'. Sed maiore quam opinatus eram vocum singularium copia factum

---

[1]) Schol. Oed. Col. 1648. *ἴδιον αὐτοῦ τὸ πολλαῖς κεχρῆσθαι ταῖς προθέσεσιν.* cf. Eustath. 923, 2. —

est, ut tres tantum fabulas, Electram, Aiacem, Antigonam illo quo dixi modo pertractaverim, reliquarum vero et fragmentorum *ἅπαξ εἰρημένα,* ne nostra quoque quaestio manca sit et imperfecta, breviter enumeravi, alias fortasse et haec accuratius examinaturus. Qua occasione data id quoque spectandum erit, ut quae nomina omnibus in fabulis simili quodam modo ficta inveniuntur, velut quae composita sunt cum *πᾶς, ὑπέρ,* aliter, collocentur et conferantur. Nam sic demum qua ratione in verbis novandis usus sit Sophocles plane perspici potest.

Iam ad rem accedam. Ac primo quidem loco substantiva cuiusque fabulae exhibebo, tum adiectiva, deinde verba, postremo adverbia. Inveniuntur autem

In Electra

substantiva, quae per literas persequar, haec:

ἅμιλλημα v. 494 [1])

ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων
γάμων ἁμιλλήμαθ', οἷσιν οὐ θέμις.

Haesit in hac voce Musgravius, qui quod duo apographa praebent *ἁμιλήματα,* veram lectionem *ὁμιλήμαθ'* esse putat. Quem secutus M. Schmidtius (Philol. XIV p. 468) *αμιλλήμαθ'* reprobandum esse arbitratur, quia hoc tam gravi serioque loco nimis sit lascivum. Quo iure ita iudicet vir doctus, ipse viderit, mihi quidem *ἁμιλλήματα* tantum abest ut impugnandum videatur, ut aptissime mutuam Clytaemnestrae et Aegisthi cupiditatem nuptiarum exprimat. Quam cupiendi vim ne temere *ἁμίλλημα* voci tribuere videamur, eos qui dubitant *ἁμιλλᾶσθαι* verbi admonemus, quod eodem sensu nonnunquam legitur. In hanc autem notionem *ἐπέβα* quoque valde quadrat, cum etiam alia composita verbi *βαίνειν* de talibus animi affectibus Sophocles adhibeat, velut quae Nauckius affert, Oed. Tyr. 1300 *τίς προσέβη μανία*; Trach. 298 *ἐμοὶ γὰρ οἶκτος δεινὸς εἰσέβη.*

---

[1]) Numeros ubique sequor Dindorfianos.

θυρών v. 328 πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις ἐλθοῦσα i. e. vestibuli. Similiter Oed. Tyr. 1242 παρῆλθ' ἔσω θυρῶνος. Extat praeterea Luc. merc. cond. c. 42 Poll. I. 77.

κοινολεχής v. 97 de Aegistho adultero dictum. Eustath. p. 653,35, qui nostri quoque loci memor est, et Const. Manass. Chron. v. 4757 hoc nomine vocant coniugem. Aesch. Prom. 560 et Agam. 1441 ita κοινόλεκτρος usurpat.

μελέτωρ v. 845 ἐφάνη γάρ μελέτωρ ἀμφὶ τὸν ἐν πένθει. Schol. adnotat: ἐφάνη γὰρ ὁ ἐπιμελούμενος, τουτέστι τιμωρὸς τοῦ πατρός. ‚Recte ad sensum' ait Meinekius ‚Oed. Col. p. 262; at vix credibile est μελέτωρ dixisse Sophoclem, quod ex analogiae lege μελήτωρ dicendum erat'. Non nego emendationem quam proposuit, νεμέτωρ dico, valde mihi arridere, attamen non adducor, ut quam codd. praebent lectionem respuam. Mihi enim quod Meinekius contendit, falso esse formatam μελέτωρ vocem, minime ita videtur. Nam ut mittam νεμέτωρ, quod ἐνεμέθην forma Meineckius tuetur, mea quidem sententia huc referendum est μελεδών, quod etiam tritius usu fuisse videtur quam μεληδών, et γενέτωρ, quo Euripides aliique usi sunt. Quod vero aliis scriptoribus permissum est, non video quo iure id Sophocli vitio vertere liceat. Ad sententiam autem huius loci aptissimum esse μελέτωρ v. 237, quem Wunderus confert, satis ostendit. Etenim ut illic ἀμελεῖν de eo adhibetur, qui interfectos non ulciscitur, ita hic μελέτωρ is dicitur, qui ultor necatorum exsistit. — Μελέτωρ iterum invenitur ap. Eustath. opusc. p. 8, 8.

μετάγνοια v. 581 μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνοιαν τιθῇς i. e. poenitentiam. Idem valet μετάνοια et μετάγνωσις. Sic extant etiam formae ἀπόνοια, ἀπόγνοια, ἀπόγνωσις notione vix discrepante.

παυστήρ v. 304 de Oreste dictum, quem Electra ut finem faciat iniquae suae conditionis exspectat. Apud Athen. 10 p. 449 E de somno usurpatur.

τεκνολέτειρα v. 108 τεκνολέτειρ' ὥς τις ἀηδὼν i. e. quae pullos amisit; proprie valet quae liberos interemit. Masculi-

num *τεκνολετήρ* non invenitur. Eur. Med. 849 aliique *παιδολέτειρα* habent; *παιδολέτωρ* Aesch. Sept. 726, Eur. Med. 1393.

ὠφέλησις v. 1031 *σοὶ γὰρ ὠφέλησις οὐκ ἔνι* i. e. utilitas, auxilium; extat etiam Oed. Col. 401.

Transeo nunc ad adiectiva, quorum simplicia quidem non habeo in hac fabula; composita autem aut praepositionibus vel aliis particulis additis aut ex duobus nominibus facta sunt. Atque prioris generis inveniuntur haec:

ἀλιπαρής v. 451 *τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα.* Duo extant adiectiva simplicia, a quibus *ἀλιπαρής* ductum videri potest, *λιπαρής* dico et *λιπαρός*, quorum hoc est ‚nitidus,' ‚pinguis,' illud ‚assiduus,' ‚perseverans' indeque etiam de obsecrando usurpatur. Utrumque autem adiectivum quin a *λίπα* substantivo derivandum sit vix dubitari licet. Adipis enim natura in duabus potissimum partibus cernitur. Ac primum quidem facile rebus adhaeret, quam notionem *λιπαρής* sequitur, ut proprie sit ‚adipis instar se agglutinans;' tum autem nitor, quem pinguedo praebet, significari potest, quod inest in verbo *λιπαρός*. Atque hanc nitoris significationem scholiasta itemque Hesychius et Suidas, cum explicent *αὐχμηρός*, adiectivo *ἀλιπαρής* subesse putarunt, quae quidem etsi sententiae huius loci minime repugnat apteque convenit cum eo, quod subsequente versu legimus *ζῶμα οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον*, tamen verbo inesse nequit. Nam *ἀλιπαρής* producit alteram syllabam, cum in *λιπαρός* prima sit correpta; ex hoc igitur illud profluxisse nullo modo potest. Quapropter Hermannus, ut *ἀλιπαρής* tueatur, cum *λιπαρής*, cui brevis est prima syllaba, compositum esse censet explicatque ‚comam non accommodatam supplicationi,' quod et ineptum facit locum nostrum nec ex *ἀλιπαρής* excudi potest; nam hoc nihil aliud valet nisi ‚non orans'. Recte igitur Brunckius *ἀλιπαρής* imperito librario imputavit et quod auctoritate scholiorum quoque probatur *τήνδε λιπαρῆ* restituit, i. e. ‚coma, qua precari vel venerari volumus patrem.'

Quod nobis v. 182 occurrit *ἀπερίτροπος* adiectivum interpretibus multum facessivit negotium nec obelum criticorum effugit. Sed liceat totum locum exhibere et quae de adiectivo nostro dicta sunt breviter percurrere. Chorus igitur Electram adhortatus verba facit haec:

> οὔτε γὰρ ὁ τὰν Κρῖσαν
> βουνόμον ἔχων ἀκτὰν
> παῖς Ἀγαμεμνονίδας ἀπερίτροπος,
> οὐθ' ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων.

Schol. adnotat: ἀπερίτροπος] ἀνεπίστροφος, ἀνεπέλευστος· ἔνθεν καὶ τὸ περιτροπέων ἐνιαυτός. Primam autem notionem scholia referunt ad Plutonem, alteram ad Orestem, et scholia secuti interpretes quoque sunt, qui hunc duplicem sensum ἀπερίτροπος verbo inesse volunt. Etenim Nauckius probat ἀνεπίστροφος i. e. ‚qui neglegit,' Hermannus vero ἀνεπέλευστος explicatque: ‚non reducem intellige. De Plutone aliud verbum adhiberi debebat, sed quoniam in illo negligentiae significatio latet, non opus erat illo.' Itane? latetne in ἀπερίτροπος neglegentiae notio? minime latet. Nam περιτρέπειν est circumvertere; περίτροπος igitur qui circumvertitur, non qui se circumvertit curae causa alicuius rei, quod inest in ἐπίτροπος adiectivo.

Sed non desunt etiam interpretes, qui depravatum esse ἀπερίτροπος putent aliudque verbum substituant. Atque Wolffius scribendum esse censet ἀπερίσκοπος, num iure dubito. Nam ut mittam, quod haec vox alibi non extat nisi Bekk. Anecd. p. 422, Wolffius sententiam subicit, quae a vero eius sensu plane abhorreat. Περισκοπεῖν sane significat circumspicere, sed notio curandi ei non magis inest quam περιτρέπειν verbo. — Alii alia huius loci sanandi causa tentaverunt, sed quotquot factae sunt coniecturae, in nulla earum equidem sani quidquam invenire possum, nec eis opus esse duco. Etenim mea quidem sententia ἀπερίτροπος retinendum est, et quid valeat dubium esse nequit. Nam περίτροπος eum significat, qui circa res versatur, qui navus est et industrius; ἀπερίτροπος igitur est ‚cessans,' ‚cessator,' quod et de Oreste

de et Plutone dicere licet. Ad Electrae enim questus, quod quamquam persaepe se rediturum pollicitus sit Orestes, tamen precum sororis immemor etiamtum cunctetur, chorus respondet, nec Orestem nec Plutonem Agamemnonis caedem ulcisci cessaturum esse.

δυσέριστος v. 1385 τὸ δυσέριστον αἷμα φυσῶν Ἄρης. Vix aliter explicare licet nisi ,qui difficile impugnatur,' ,qui est insuperalis'; de Marte ad res ab eo gestas transfertur.

δυσπρόσοπτος v. 460 δυσπρόσοπτ' ὀνείρατα, somnia quae sunt mali et infausti aspectus i. e. tristia. Extat etiam Oed. Col. 286, ubi vulgo δυσπρόσωπος legitur, et Plut. Aem. 12, 24; δυσπροσόπτως Eustath. p. 630, 5. habet et Phot. p. 448, 35.

ἀψεγής v. 497 idem est atque ἄψεκτος, irreprehensus; sed ut nunc verba leguntur, illa notio minime apta est. Audito enim Clytaemnestrae somnio chorus sperat interfectoribus Agamemnonis praemium facinorum eventurum esse, quibus facinoribus commemoratis his utitur verbis:

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει
— ⏑ ⏑ μήποθ' ἡμῖν
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν —

e quibus vix ullum verbum interpretum suspicionem fugit. Neque vero ἔχει με impugnandum puto, sed recte nonnulli usurpatum esse censuerunt velut παρίσταταί μοι, atque quae post ἔχε extat lacuna apte expleri videtur repetito μήποτε vocabulo. Eorum autem quae sequuntur sententiam esse turbatam satis apparet. A choro (ἡμῖν) enim somnium (τέρας) Clytaemnestrae ἀψεγές dici nequit; immo verbum ab illo diversum, ut recte monet Nauckius, requiritur, velut ψευδές. Quod Dindorfius recipi vult ἀψεφές, eo ad explicandum hunc locum nihil proficitur. Sed ne alia quidem huius modi voce sententiam restitui duco Nam vix crediderim verba δρῶσι καὶ συνδρῶσιν ad chorum spectare, id quod necessarium est, si ἡμῖν legimus. Quamquam recte illa ad Aegisthum et Clytaemnestram referenda putat Reiskius ideoque pro ἡμῖν scribit ὑμῖν, quo recepto ἀψεγές fortasse ferri potest. Quod Mei-

nekius Oed. Col. p. 258 pro *τέρας* suspicatus est *γέρας* non probo.

ἔκτιμος v. 242 *γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας | ὀξυτόνων γόων.* Quae dicenda sunt de formatione et sensu huius adiectivi Eustath. p. 1514, 22 iam disseruit. Eius enim verba sunt haec: *ἐξαίσιον δὲ, τὸ ἔξω τοῦ αἰσίου ὡς καὶ ἐν Ἰλιάδι κεῖται. οὕτω καὶ ἔκδικον παρὰ τοῖς παλαιοῖς, τὸ ἔξω τοῦ δικαίου, τὸ μέντοι μὴ τοιοῦτον, ἔνδικον λέγεται καὶ ἐναίσιμον. οὕτω καὶ ἔκτιμον παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ἠλέκτρᾳ τὸ ἔξω τιμῆς. ἑτεροῖον ὂν παρὰ τό ἔντιμον.* Quibus non habeo quod addam; id unum restat, ut videamus, utrum recte Erfurdtius et Musgravius *ἔκτιμος* ut loco nostro non quadrans impugnarint mutarintque [1]) necne. Atque mihi quidem inde iam retinendum videtur, quod sine dubio consulto oppositum est a poeta antecedenti verbo *ἔντιμος*; tum vero eos fugit, Sophoclem usum esse usitatissima illa dicendi formula, in qua quod alicuius rei consequens est, rei ipsi adscribitur. Quare sensus est hic: Si cohibeam acutorum luctuum alas, ita ut parentes non honorent, i. e. lamentis omissis parentes dehonestantur.

καταλύσιμος v. 1247 *οὔ ποτε καταλύσιμον . . . κακόν* i. e. malum nunquam delendum. Simplex *λύσιμος* saepius usurpatur; *ἀπολύσιμος* Antiphon p. 129, 3 habet.

μετάδρομος v. 1387 *μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων | ἄφυκτοι κύνες.* Ita vocantur Furiae, quia sceleratos poenae causa persequuntur; de eisdem Eur. Iph. Taur. 941 [2]) *μεταδρομή* adhibet; Aeschyli est *τανύδρομος.* — *Μετάδρομος* iterum legitur Eust. opusc. p. 107, 72.

ὑπεραλγής v. 176 *ᾧ τὸν ὑπεραλγῆ χόλον νέμουσα* i. e. ira gravi dolore plena, ira vehemens. Suid. expl. *ἄγαν ὀδυνηρόν, λυπηρόν.* Polyb. III, 79 de Hannibale: *ὑπεραλγὴς ὢν διὰ τὴν βαρύτητα τῆς ἐπενεχθείσης ὀφθαλμίας αὐτῷ,* alium-

---

[1]) Erfurdtius *ἐντίμους.* — Musgravius: *οἰκτισμοὺς ἴσχουσ' ἀπτέρυγας ὀξυτόνων γόων.*

[2]) Numeros sequor Nauckianos.

que Polybii locum Suid. exhibet sub *ὑπεραλγής*: *ὁ δὲ ἵππος ὑπεραλγὴς ὢν ἐκ τῆς πληγῆς ῥύδην ἐφέρετο.* Idem fragm. Suid. sub *ἀποσφαλμήσας* memorat, sed hoc verbo pro *ὑπεραλγής* substituto.

ὑπερίστωρ v. 850 vid. p. 16.

ὑπόχειρ v. 1093 *ζῴης μοι καθύπερθεν | χειρὶ καὶ πλούτῳ τεῶν ἐχθρῶν ὅσον | νῦν ὑπόχειρ ναίεις.* In Laur. est *ὑπὸ χεῖρα,* quod metro strophae excluditur. Quare Erfurdtius *ὑπὸ χέρα* proposuit, sed rectius *ὑπόχειρ* Musgravius; ita enim extant *ἐπίχειρ, ἀντίχειρ,* alia multa.

Iam subsequuntur ea adiectiva, quae ex duobus nominibus composita sunt.

ἀρχέπλουτος v. 72:

καὶ μή μ' ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς, | ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων. In qua voce vereor ne idem evenerit quod in multis aliis, ut temere a Sophocle abiudicata sit. Ex iis autem qui in hoc loco offensi sunt, Morstadtius [1]) totum versum interpolatori tribuit, quod inepte conexus sit cum antecedente. Negat enim ex *ἀποστείλητε* suppleri posse ad v. 72 *δέξασθε*, sed ut extent huius loci verba, huc quoque referendum esse *ἀποστείλητε.* Quod ut statim reiciamus, *ἀλλά* particula ostendit vocabulum aliquod, quod oppositionem indicat, requiri. Ad hanc autem ineptam, ut illi videtur, coniunctionem accedere — ut ipsius verba ponam —, dass es eine grässliche Rohheit wäre, wenn Orestes in so schauerlichem Moment um Reichthum bäte. Quamquam id semper ante oculos habendum puto, Orestem dei iussu matris parricidium parare; tum vero verba eius nihil aliud significant, nisi quod deos patrios ut se adiuvent et in regnum Atridarum restituant precatur. — Restat ut de Nauckii suspicionibus videamus. Is igitur *ἀρχέπλουτος* insolentem esse dicit vocem et sine dubio vitiosam. Insolentem esse concedo, cum non inveniatur uspiam nisi hoc loco; sed num vitiosa sit dubito.

---

[1]) Beiträge zur Exegese und Kritik der Soph. Tragoed. El. Ai. und Ant. Schaffh. 1864.

Recte enim fictum esse hoc adiectivum Pind. Pyth. IX. 56 *ἀρχέπολις* docet itemque *ἀρχέλαος* Aristoph. Equ. 164, de qua formatione cf. Lob. Phryn. p. 767. Ex illis autem verbis intellegi potuit, notionem quam Ellendtius inesse voluit ‚opum fundator', minime inesse adiectivo nostro, sed eum significari, ‚qui opes regit' i. e. qui regnum possidet. Quae cum ita sint, emendationibus quas Herwerdenus et Nauckius[1]) proposuerunt, opus esse non duco.

βαθυσκαφής v. 435 *βαθυσκαφεῖ κόνει κρύψον νιν* i. e. in terra alte effossa.

δολιόπους v. 1392 et *νεακόνητος* v. 1394

παράγεται γὰρ ἐνέρων
δολιόπους ἀρωγὸς εἴσω στέγας,
ἀρχαιόπλουτα πατρὸς εἰς ἑδώλια
νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων.

Vix. credi potest quemquam in verbo *δολιόπους*, cuius sensum nemo non videt — Dindorfius apte adnotat: Qui dolo usus est ut domum regiam intraret non agnitus, — haesitare potuisse. Attamen haesitatum est a Wakefieldo, qui in Silv. crit. IV p. 7 ‚hariolationem suam proposuit *σκολιόπους*' explicatque: ‚curvis pedibus — flexo tramite — quovis circuitu, modo sine strepitu procedens'. Sane horiolatus est vir doctus, et ita quidem, ut nihil amplius dicendum mihi sit.

Iam vero v. 1394 in magnam Sophoclis interpretum crucem incurrimus. Quamquam non in mentem mihi veniet omnia quae ab illis proposita sunt afferre, sed pauca exhibebo eisque illud quod verum esse puto addam. Depravatum igitur esse hunc locum nemo est nunc interpretum qui non concedat. Unus Wunderus, quantum video, lectionem vulgatam retinendam exstimavit, cum *αἷμα* translate dictum sit pro ense, id est effectum pro efficiente Scilicet haec est figura usitatissima; at nunquam ei quod effectum est tribui potest illud, quod est eius qui rem effecit. Qui igitur *νεακόνητον αἷμα*

---

[1]) Herwerdenus: *ἀρχαιοπλούτων δ' ἀπ οκαταστάτην* (Nauckius: *δ' ἔτι καταστάτην*) *δόμων*. —

retinet, inepte dicentem facit poetam. Quod Wunderus, ut confirmet sententiam suam, ad veteres grammaticos provocat, qui produnt *αἷμα* apud Sophoclem *μάχαιραν* significare (Hesych., Suid. v. *αἷμα*, Etym. M. p. 35,4., Bekk. An. p. 356,20), haec grammaticorum opinio ex nostro loco emanavit neque quidquam demonstrat nisi veterrimam iam esse hanc corruptelam. Qua de re cum nunc interpretes uno ore consentiant, valde discrepant inter se, quomodo sanandus sit versus, utrum mendum positum sit in *νεακόνητον* an in voce *αἷμα*; sunt etiam qui sententiam a vulgata alienissimam quaerant. Atque quod Hermannus ex scholiis recepit *νεοκόνητον* interpretatus ‚recens profuso sanguine manus conspersas habens‘, iam satis reiectum est. Quomodo enim chorus Orestis manus cruentatas dicere potest, quippe cum, ut caedem perficiat, in domum se conferat? Quod autem Meinekius Oed. Col. p. 271 substitui vult *νεοχμόκμητον* aut *νεαρόκμητον*, haec vocabula glossatori similiora esse quam poetae veteri recte ait Dindorfius.

Alii aliter *νεακόνητον* impugnaverunt, quibus ipsis assentiri nequeo. Immo *νεακόνητον* retinendum censeo et deducendum a verbo *ἀκονᾶν*, ut schol. quoque expl. *τὸ ξίφος τὸ ἠκονημένον εἰς αἷμα καὶ φόνον*. Scilicet altera syllaba tum longa est, quod pugnare videtur cum stropha. Sed *μετάδρομος* quoque v. 1387 dipodiam iambicam fieri posse Dawesius[1]) docet et Seidlerus[2]), quamquam Lobeckio adstipulari malim, cuius commentatione ad Phryn. p. 701 ancipitem esse alteram *νεακόνητον* adiectivi syllabam probabile fit. Quae cum ita sint, non‘ dubitamus, quin vitium lateat in *αἷμα*, cui quomodo succurrendum sit, magna est dissensio inter viros doctos. Facillima aptissimaque medela mihi videtur Musgravii et Nauckii‘ qui coniecerunt *αἶχμα* i. e. *αἰχμή*, de qua duplice forma vide Musgr. ad. Trach. 1021.

κοινόπους v. 1104 *κοινόπους παρουσία* i. e. adventus Orestis una cum sociis factus.

---

[1]) Miscell crit. c. notis Kiddii p. 353.

[2]) De vers. dochm. p. 21.

ὑπερίστωρ, πάνσυρτος, πάμμηνος v. 850 sq.

κἀγὼ τοῦδ' ἴστωρ ὑπερίστωρ,
πανσύρτῳ παμμήνῳ πολλῶν
δεινῶν στυγνῶν τ' αἰῶνι.

ὑπερίστωρ difficultatem praebet minimam, cum notio eius plana sit et perspicua; in Bekk. An. p. 312. redditur per *ὑπερεπιστήμονα.* Multo magis autem versus sequentes suspecti fuerunt interpretibus. Ultima verba, quae in codd. ita extant: *στυγνῶν τ' ἀχαίων* ab Hermanno recte emendata sunt *στυγνῶν τ' αἰῶνι,* quibus Dindorfius ante *αἰῶνι* inserit vocem *ἀχέων,* quae et ipsa est in libris, *πολλῶν* in antecedente versu deleto, quod quomodo in libros illatum sit perspici nequit. Atque quae pro *πάνσυρτος* et *πάμμηνος* factae sunt coniecturae praetermitto; nam, ut breviter dicam, supervacaneas et inutiles esse duco. *Πάνσυρτος* a schol. explicatur: *πανσύρτῳ] πάντα σύροντι τὰ κακά,* quam interpretationem plerique sequuntur et ea nisus Dindorfius *πολλῶν* eiecisse videtur, cum huius licentiae probandae causa dicit, ‚*πολλῶν* post *πανσύρτῳ* non ineptum quidem, sed leve tamen esse et inutile'. Quamquam non intellego cur hic a passiva significatione, quippe quae sit propria ac principalis adiectivorum verbalium in *τος* desinentium, discedamus qua passiva notione, quam primus ostendit A. Seyffertus[1]), oratio multo fit expeditior. Hac enim accepta Electra, postquam Chorus rebus adversis valde eam vexari dixit, respondet: Scio, satis superque scio vita plane per multa gravia ac tristia tracta. De genitivo *πολλῶν δεινῶν* a *πάνσυρτος* dependente cf. Krueger. Gr. Gr. II. 47, 26, 6., ubi similia exempla afferuntur multa.

Iam vero ut *πάμμηνος* aggrediamur, quae Wolffius contra hoc adiectivum dicit, refutantur Nauckii adnotatione ad Phil. 722, qua docet Sophoclem solere ad tempus significandum mensis vocabulo uti. *Πάμμηνος* est igitur *πᾶσι μησί,* per omnes menses i. e. omni tempore. Dativum autem offensione vacare ostendit Arnoldius Vindic. Soph. p. 26, qui iure dicit *παμμήνῳ* positum esse ad *πανσύρτῳ* amplificato quodam modo illo usu lo-

---

1) Progr. Brandenburg. 1868.

quendi, quo descriptiones temporum adiectivis temporalibus exprimantur, velut Ai. v. 216 *ὁ κλεινὸς νύκτερος Αἴας ἀπελωβήθη.* — *Πάμμηνος* iterum invenitur Plut. Mor. p. 936 A. Maneth. 4,545, sed de plenilunio dictum, quo sensu Arat. 189 *πάμμηνις* habet.

παμφεγγής v. 105:

ἔστ' ἂν παμφεγγεῖς ἄστρων
ῥιπάς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ

h. e. *παμφαής*, plane, valde lucidus, fulgidus. Hermapio apud Ammian. Marcell. 17. 4, 20: *Ἀπόλλων κρατερὸς Ἡλίου παῖς παμφεγγής*; Manetho bis de sole, semel de luna usurpat (3,425 et 6,567; 6, 330). — Quod ante *παμφεγγεῖς* in codicibus legitur *λεύσσω* removendum esse bene intellexit Hermannus, cum Nauckius Dobraeum secutus *ἄστρων* deleri vult. Atque hoc quidem iniuria; nam *ῥιπαί* voce per se radii solis significari posse vix crediderim. Tum vero verba *παμφεγγεῖς ῥιπάς* non ad diem, sed ad noctem spectant. Electra enim die nocteque se patrem questuram esse ait. Itaque *ἄστρων* retinebimus, cum *λεύσσω* facile ex subsequente versu subaudiamus.

πάμφλεκτος v. 1139 dictum est de igne vehementer flagrante; Ant 1006. translatum est ad aras, ut Verg. Georg. III, 490 ‚ardent altaria'.

πάμψυχος v. 841 *καὶ νῦν ὑπὸ γαίας* | *πάμψυχος ἀνάσσει.* Non recte critici quidam hoc adiectivum tentaverunt, cum Soph. in usurpandis adiectivis cum *πᾶς* compositis imprimis varius sit atque audax. Sane quod scholiasta explicat *πασῶν ψυχῶν ἀνάσσει*, in Amphiaraum non cadit, quippe cum regnum mortuorum penes Plutonem sit; sed intellegendum est de Amphiarao vel apud inferos plane vivido, cum reliqui homines species sint atque umbrae.

χάλαργος v. 861 *χαλάργοις ἐν ἁμίλλαις.* Dorice dictum pro *χήλαργος*. *Χηλή* est ungula et boum et equorum. *ἀργός*, de quo antea iudicia valde discrepabant, nunc satis constat esse ‚velox', et cum magna celeritate candor quidam efficiatur, valet etiam ‚micans' ‚candidus'. Notionem celeritatis autem primariam esse illius verbi ostendunt nomina

velut *Ποδάργη* harpyiae, *Πόδαργος* equi, *Ἄργος* canis, alia, videasque quae hac de re adnotat Nitzschius ad Hom. Od. II, 11. *Χήλαργος* igitur eandem vim habet ac *πόδαργος, ταχύπους*, et hoc loco ab equo translatum est ad certamen curruum, quod scholiastam non effugit, cum explicat: *χαλάργοις] τοῖς λευκόποσιν, ἢ ταῖς ταχείαις ἐν ταῖς χηλαῖς· χηλὰς δὲ ἀντὶ τῶν ὁπλῶν παρέλαβεν*; similiter Hesych. et Suid.

χαλκόπλευρος v. 54 *τύπωμα χαλκόπλευρον*, urna aeneo latere i. e. aenea.

χαλκόπληκτος v. 485

οὐ γάρ ποτ᾽ ἀμναστεῖ γ᾽ ὁ φίσας Ἑλλάνων ἄναξ,
οὐδ᾽ ἁ παλαιὰ χαλκόπλακτος ἀμφάκης γένυς.

Quamquam hoc verbum recte formatum est ac ne ex eo quidem, quod apud alios scriptores non legitur, argumentum ad mendi suspicionem confirmandam peti debet, sicut *σιδηρόπληκτος* apud solum Aeschylum, *χερόπληκτος* et *πάμπληκτος* apud solum Sophoclem extant, tamen hoc loco a Sophocle profectum non esse mihi videtur. Scholia autem duplicem praebent huius vocis interpretationem, alteram activam: *ἑλοῦσα αὐτόν* (aere feriens), alteram passivam: *ἡ ἀπὸ χαλκοῦ ἠλασμένη, σφυρήλατος*. Activa vero notio inde iam reprobanda mihi videtur, quod quaecumque apud Sophoclem inveniuntur adiectiva cum *πλήσσειν* verbo composita — sunt autem permulta, velut *ἀμφί-, ἀπό-, ἐμ-, χερό-, παρά-, πάμπληκτος*, alia passivam vim habent; tum vero Kvíčala[1]) uberius disseruit, fieri non posse, ut ab iis verbis, quibus notio sola et plane sit transitiva — quod sine dubio in *πλήσσειν* cadit — adiectiva verbalia in *τος* activo sensu fingerentur. Sed etiam quam scholia recentiora afferunt explicationem a pluribus interpretibus nunc etiam probatam, *χαλκόπληκτος* idem esse ac *σφυρήλατος*, non esse probandam idem Kvíčala i. l. breviter exposuit. Nam *πλήσσειν* a nullo nec ante nec post Sophoclem scriptore usurpatum est pro *ἐλαύνειν*, quod nos dicimus haemmern treiben, et quod Wolffius et Neuius positum esse dicunt sicut ab Eur. Phoen. 1570 *χαλκόκροτον φάσγανον* et ab

---

[1]) Sitzungsber. d. Wien. Akad. XLV. p. 49. sq.

ipso Soph. Ant. 430 *εὐκρότητος πρόχους*, eos fugit in *κροτεῖν* verbo sane inesse illam notionem. *χαλκόπληκτος* autem nihil aliud significare potest nisi ‚aere ictus, percussus', ut *σιδηρόπληκτος* est ‚ferro ictus'. Quae cum ita sint vix dubitare licet, quin Soph. hic non *χαλπόπληκτος*, sed quod iam Erfurdtius coniecit, *χαλκόπηκτος* scripserit.

Hucusque de adiectivis. Transeo nunc ad verba; ac simplicia quidem nulla habeo, quae Sophocles finxerit; composita autem ita enumerabo, ut sequar ordinem praepositionum alphabeticum hisque ea adnectam quae ex nomine et verbo vel aliter sunt formata. Atque cum praepositione *ἐκ* coniuncta quatuor nobis occurrunt, e quibus *ἐκκομπάζειν* v. 549, *ἐκλήγειν* v. 1312, *ἐκσημαίνειν* v. 1191 a verbis simplicibus vix distare videntur, nisi forte quod notionem gloriandi, desinendi, significandi augent; quartum autem *ἐξοδοιπορεῖν* haud scio an recte a Sophocle abiudicandem putet Nauckius. Quae enim legimus v. 20 sq.

πρὶν οὖν τιν' ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης,
ξυνάπτετον λόγοισιν· ὡς ἐνταῦθ' ἐμέν,
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή. —

multam afferunt offensionem adeoque de his versibus iudicia virorum doctorum variant, ut eadem alii vel maxime damnent, alii summo studio amplectantur. Atque primum *ἐμέν* forma, quae alibi non invenitur, Sophocli vix tribuenda videtur, quare vario modo locum restituere conati sunt interpretes. Sed ne omnia quae ad emendandum versum proposita sunt afferam, palmam tulisse mihi videtur Kreussleri coniectura:

ξυνάπτετον λόγοισιν, ὡς καθέσταμεν,

nec dubitarem ei assentiri, si sola haec esset de hoc loco dubitatio. Sed recte Nauckius monet, *συνάπτειν* verbum intransitivo tantum, non transitivo sensu, qui hic poscitur, cum dativo coniungi; denique Sophoclem insolente illo *ἐξοδοιπορεῖν*, quod nos dicimus ‚herauswandern', pro *ἐξελθεῖν* usum esse vix credi licet. Quapropter magna cum probabilitate Nauckius v. 20 et 21 interpolatori tribuit.

προφυτεύειν v. 198 *δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες μορφάν* i. e. efficientes, perficientes; metaphorice de caede

Agamemnonis; proprie extat Geopon. 5, 11, 4: *προπεφευτεῦσθαι κράμβην.*

συνέρδειν 350 *οὔτε ξυνέρδεις τήν τε δρῶσαν ἐκτρέπεις* i. e. una facis, adiuvas; iterum legitur Trach. 83.

ὑπερκτᾶσθαι v. 217 *πολὺ γάρ τι κακῶν ὑπερεκτήσω* i. e. *ὑπὲρ τὸ δέον ἐκτήσω*, ultra modum mala acquisivisti.

ἀρχηγετεῖν v. 83 *κἀπὸ τῶνδ᾽ ἀρχηγετεῖν, πατρὸς χέοντες λουτρά.* Recte formatum est ab *ἀρχηγέτης* substantivo, ut *ἀρχηγετεύευν* apud Herodot. II, 123. Hanc ob causam Wolfius idem valere ait ac ‚principem esse in aliqua re', ‚vincere' Sed etsi non insit notio incipiendi, vincendi tamen etiam. longius abest. *Ἀρχηγέτης* enim proprie est qui praecedit: *ἀρχηγετεῖν* igitur ‚alicui rei praeesse', ‚administrationem alicuius rei auspicari'.

κακοστομεῖν v. 597 *ἢ πᾶσαν ἵης γλῶσσαν ὡς τὴν μητέρα | κακοστομοῦμεν* i. e. quod matri maledicamus; eodem sensu Oed. Col. 986 *δυστομεῖν* dicit; Eur. Iph. Aul. 1001 *κακό στομος.* Nauckius quia singularis sit vox pro *κακοστομοῦμεν* suspicatus est *κακορροθοῦμεν.* Sed si nihil aliud in hac voce offendit, nisi quod alibi nusquam legitur, non est cur eam tollamus.

Restat ut adverbia, quibus praeter consuetudinem in hac fabula usus est poeta, commemorem. Sed ut omnino rarius novavit adverbia, ita in Electra unum tantum cognovi, *ἐπαρκούντως* dico v. 354, nisi forte cum Nauckio ex glossa Thom. Mag. 24,15: *ἀπαρκεῖ κάλλιον ἢ ἀρκεῖ. Σοφοκλῆς. ἀπαρκούντως ἐμοί* — corrigendum sit *ἀπαρκούντως.* Etenim *ἐπαρκεῖν* et quae inde derivantur notionem habent adiuvandi et apud recentiores demum scriptores sufficiendi, quae hic postulatur; haec autem inest verbo *ἀπαρκεῖν.* cf. Oed. Col. 1769.

In Aiace

substantiva a Sophocle ficta vel alias non inventa leguntur haec:

ἀγωνάρχης v. 571 *καὶ τἀμὰ τεύχη μήτ᾽ ἀγωνάρχαι τινὲς | θήσουσ᾽ Ἀχαιοῖς κτλ.* i. e. certaminis iudex, designator.

αλιάδης v. 880 *τίς ἂν φιλοπόνων ἁλιαδᾶν κτλ.* Schol. *ἁλιάδαι*] *οἱ παῖδες τῶν ἁλιέων, ἤγουν οἱ ἁλιεῖς.* Etym. M. *Αλιάδες, ἔναλοι, οἱ διὰ θαλάσσης πλέοντες*; Hesych. *Ἁλιάδων, ἐνάλων* dubium non est, quin ad locum nostrum respexerint, eaque de causa viri docti recte in Etym. *Ἁλιάδαι*, apud Hesych. *Ἁλιαδῶν* scribendum esse censuerunt. De forma patronymica appellativorum dicere post ea, quae hac de re uberius disseruit Lobeckius ad h. l., necesse non est. Sophocles ipse hac formatione praeterea usus est Ant. 940 *κοιρανίδης*.

ἐπιβουλευτής v. 726 *τὸν τοῦ μανέντος κἀπιβουλευτοῦ στρατοῦ* | *ξύναιμον ἀποκαλοῦντες* i. e. insidiatoris exercitus. Nauckius dativo *στρατῷ* pro genitivo posito sensum fieri planiorem ait; sed vix ulla obscuritas inest genitivo, siquidem nemo facile, qui fabulam usque ad hunc locum legerit, *ἐπιβουλευτής* ut adiectivum cum *στρατοῦ* coniungit. Quare assentior Lobeckio genitivum ab Elmsleio et Schaefero defendenti. — *Ἐπιβουλευτής* invenitur etiam Jos. Ant. Jud. 17, 5, 4.

ὁμευνέτις v. 501 *ἴδετε τὴν ὁμευνέτιν* | *Αἴαντος* i. e. uxorem Aiacis. Masculino *ὁμευνέτης* Eur. utitur, de quo Suid. *ὁμευνέτης, ὁμευνέτου. συγκοίτου ἀνδρός. θηλυκῶς δὲ διὰ τοῦ ι.*

ὀρφανιστής v. 512. i. e. tutor.

Iam transeamus ad adiectiva huius fabulae, quae omnia sunt composita. Atque additis praepositionibus vel *α* privativo ficta sunt haec:

ἄδαστος v. 54 *ἄδαστα βουκόλων φρουρήματα* i. e. indivisa pecudum praeda a pastoribus custodita. De structura huius loci cf. Wunder. Cens. Ai. Lob. p. 86 sq.

ἀψόφητος v. 321 *ἀλλ' ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων* | *ὑπεστέναζε* i. e. proprie qui nullum sonitum edit. Sed ut saepe fit apud poetas, alterutra pars verborum compositorum ad sensum necessaria non est, sed orationis ornandae causa addita. Ita hoc loco *ἀψόφητος κωκυμάτων* hominem qui non utitur lamentationibus significat, de qua loquendi forma, quae Graecae linguae propria est, videas Matth. Gr. Gr. § 339. et Valcken. ad Eur. Phoen. 328, qui similia exempla afferunt plura. — Adverbium *ἀψοφητί* Plato aliique habent; *ἄψοφος* Soph. et Eurip.

δυσλόγιστος v. 40 *πρὸς τί δυσλόγιστον ὧδ' ᾖξεν χέρα;* i. e. impetus, qui perspici nequit, inexplicabilis.

ἐπιβρόντητος v. 1386 *ὥς ὁ στρατηγὸς οὐπιβρόντητος μολών.* Schol. expl. *ἐμβρόντητος* i. e. attonitus; translate igitur dictum est; *ἐπιβροντῶ* proprie utitur Plut. Marcell. 12.

πάραυλος v. 892 *τίνος βοὴ πάραυλος ἐξέβη νάπους;* Schol. dubitat utrum ab *αὐλός* an ab *αὐλή* repetendum sit; rectum est alterum *παρατεταμένη ἐγγύς, παρὰ τὴν αὐλήν.* Extat etiam Oed. Col. 885 et frg. 446.

περιπτυχής v. 899. Ita Aiax dicitur, qui in gladium incubuit; proprie vero v. 915 de tegumento, quo circumdato Aiacis corpus e conspectu tollatur.

περίφαντος v. 228 et 598. Hic de gloria Salaminis insulae, quam Strabo vocat *ἐπιφανῆ*; illic de Aiace, quem, quod mente alienatus Graecorum greges trucidasset, ‚manifesto' moriturum esse chorus ait. Jovi attribuitur Orph. Hymn. 19,1

σύναυλος v. 611. *μανίᾳ ξύναυλος* i. e. cum insania cohabitans, insanus; Oed. Tyr. 1126 *χώροις μάλιστα πρὸς τίσι ξύναυλος ὤν;*

ὑπερβριθής v. 951 *ἄγαν ὑπερβριθὲς ἄχθος ἤνυσαν* i. q. *ὑπερβαρής* Aeschyli, ‚praeponderosus', ‚gravissimus'. Simplex *βριθής* non extat, sed in usu est *βριθύς* forma; composita plura inveniuntur, velut *ἐμβριθής, σιδηροβριθής*, alia.

Pergo nunc ad ea adiectiva, quae ex duobus nominibus composita sunt; extant autem haec:

χειροδάϊκτος et *αἱμοβαφής* v. 219 *τοιαῦτ' ἂν ἴδοις σκηνῆς ἔνδον | χειροδάϊκτα σφάγι' αἱμοβαφῆ* i. e. manu caesas pecudes cruentas. *Δαϊκτός* Orph. Argon. 279; magis vero quam simplex in usum veniunt composita, quorum magnum numerum habet Aeschylus, velut *αὐτοδάϊκτος, ἀνδροδάϊκτος, πυργοδάϊκτος*; alii alia. — *Αἱμοβαφής* proprie est sanguine tinctus; similia sunt *πορφυροβαφής. χρυσοβαφής*; extat *αἱμοβ.* etiam Nonn. Dion. 2,52. 29,76.

ἀριστόχειρ v. 935 *ἀριστόχειρ ἀγών* i. e. *ἀγὼν ἀρίστων χειρῶν.* cf. Matth. §. 446. n. 3. c. Plurima esse apud

scriptores Graecos adiectiva cum superlativo composita, quae a sermone Latino longe abhorrent, iam monuit Lobeckius. — Ἀριστόχειρ praeterea invenitur Tzetz. Epist. 80, p. 74 (ed. Pressel.).

αὐτοδαής v. 700 ὀρχήματ' αὐτοδαῆ i. e. saltationes ab ipso choro excogitatae, ‚ludicra extemporalia' ut ait Lob. Ovid. Trist. IV, 1, 6 ‚numerus indocilis'. — Αὐτοδαής citatur etiam ex Diagora ap. Didym. Alex. de trinit. III, 2, p. 320)Meinek. frgm. Com. Gr. I, p. 526) αὐτοδαὴς δ' ἀρετὰ βραχὺν οἶμον ἕρπει.

βαρυάλγητος v. 200 i. e. gravem dolorem efficiens; formatum est ut δυσάλγητος, ἀνάλγητος, quibus et ipse Soph. utitur; βαρυαλγής saepius invenitur.

βαρύψυχος v. 319 πρὸς γὰρ κακοῦ τε καὶ βαρυψύχου γόους | τοιούσδ' ἀεί ποτ' ἀνδρὸς ἐξηγεῖτ' ἔχειν. Schol. expl. μικροψύχου, καταπεπτωκότος τὴν ψυχήν. Lobeckius apte comparat βαρυθυμεῖσθαι et βαρυθυμία indeque docet ἄνδρα βαρύψυχον esse hominem demissi animi. Quare scholiastae rec. lectione κοὐ βαρυφύχου vel eo quod scholiastae vet. adnotationem μικροψύχου respiciens M. Seyffertus substitere voluit βραχυψύχου opus esse non duco. — Wesselingius, ut ex Dindorfii adnotationibus video, de adiectivo nostro haec scribit: ‚βαρύψυχος vocatur abiecti animi et pondere quasi depressus homo, quo titulo ornavit regem Aegyptium Gregor. Nazianz. or. 15 p. 227'. Licet vera sit interpretatio adiectivi, Gregorium Naz. illo usum esse — ita enim intellego verba ‚quo titulo etc'. — in duobus quae consului exemplaribus reperire nequivi, sed in utroque Gregorius Pharaonem vocat βαρυκάρδιον, quod verbum nostro sane simile est, sed non idem.

δικρατής v. 252 et δισσάρχης v. 390 de Atridis principibus usurpantur, quorum illud Ant. 146 quoque extat: δικρατεῖς λόγχας i. e. Eteoclis et Polynicis hastae, quarum utraque victrix dicitur, quia fratres invicem se necaverant.

δορυσσόητος et εὐρώδης v. 1188 sq. τίς ἄρα νέατος ἐς πότε λήξει πολυπλάγκτων ἐτέων ἀριθμὸς | τὰν ἄπαυστον αἰὲν

ἐμοὶ δορυσσοήτων | μόχθων ἄταν ἐπάγων | ἀνὰ τὰν εὐρώδη Τροίαν. Laurentiani codicis scripturam δορυσσοήτων iam propter metrum antistrophae necessariam, quae omnibus in apographis falsa lectione δορυσσόντων textu deturbata est, veram esse nunc satis constat. Lobeckius enim, qui δορυσσοήτων formam scribentis errori imputabat, cum neque δορυσσοέω neque aliud simile verbum extare censeret, rationem illam maiorem non esse omni dubitatione ipse iam in Paral. gram. Gr. p. 562 concessit. Etenim Hesychii, glossa: Ἐσσοημένον, τεθορυβημένον κτλ. satis docet extitisse olim σοέω verbum, ut composito δορυσσοέω indeque repetito δορυσσόητος nihil obstet. Usitatior vero est δορυσσόος s. δορυσσῶς — lexica falso ex σεύω profluxisse hoc adiectivum docent —, a quo illud significatione nihil distat, ut ἀνόητος quoque et ἄνους legimus.

Sed aliam nominativi terminationem Bergkius[1]) defendit. Sanaturus enim Eur. Heraclid. 774 pro δορύσσοντα restituit δορυσσόητα, a δορυσσόης derivandum, ut multa sint adiectiva secundae declinationis, quae terminationem quoque ης tertiae assumant, velut πλάνος et πλάνης, γυμνός et γυμνής, alia. Sed licet fieri possit haec formatio, illa tamen in certioribus, ut mihi videtur, fundamentis posita est. Nauckii autem de hoc loco coniecturas vix quisquam probabit; nimia enim cum licentia agit.

Iam vero ut transeamus ad v. 1190, hic est multo impeditior, cum non solum εὐρώδης sit vox dubiae auctoritatis, sed etiam metrum a versu antistrophico valde discrepet. Quas difficultates quamquam variis modis expedire conati sunt critici, tamen adhuc sub iudice lis est. Εὐρώδης autem retineri posse probavit Lobeckius collatis v. βραχώδης et τραχώδης, ut dictum sit instar Homerici Τροίη εὐρεῖα. Aliter vero iudicat Doederlinus Gloss.-Hom. p. 6. Docet enim εὐρώδης aliam esse formam verbi ἠεροειδής explicatque ,das finstere,

---

[1]) Zeitschr. f. Alterthumsw. 1836 p. 57.

unglückselige Troia,‘ quae notio num verbo illo extricari possit dubito.

εὐρύνωτος v. 1251 οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς | οὐδ᾽ εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι i. e. viri latis tergis praediti; dictum de vasta atque immani Aiacis corporis magnitudine.

κελαινώπας v. 954 ἦ ῥα κελαινώπαν θυμὸν ἐφυβρίζει πολύτλας ἀνὴρ κτλ. Ambigitur inter viros doctos, cui tribuendum sit κελαινώπαν θυμόν, utrum Aiaci an Ulixi. Rectissime autem Musgravius iam docuit dictum esse de Aiacis animo propter insaniam atro et tristi. — Κελαινωπός Arcad. p. 67, 10; idem et Pind. Pyth. I. 23 κελαινώψ.

κακόθρους v. 138 λόγος κακόθρους i. e. calumniosus.

κακοπινής v. 381 κακοπινέστατον τ᾽ ἄλημα στρατοῦ. Ita Aiax Ulixem vocat. Sunt qui inepte putent ‚Ulixem squalidum erronem dici, quod olim mendico cultu Troiam intrasset; exprobrari enim hac re astutam Ulixis timiditatem‘. Astutus sane Ulixis conatus vocari potest; num timidus dici possit dubito. Sed recte de ingenio et moribus, non de externa specie hic usurpari κακοπινής schol. ait his verbis: τὸν πίνον ποτὲ μὲν ἐπὶ τῆς ἰδέας, ποτὲ δὲ ἐπὶ τοῦ ἤθους. ἐνταῦθα οὖν τὸν κακοήθη. Eodem pertinet Hesychii glossa: κακοπινεῖς· κακοί. — Extat etiam Athen. XIII, p. 565 E.

λαθίπονος v. 711 Αἴας λαθίπονος πάλιν i. e. laborum et molestiarum oblitus; Trach. 1021 cum genit. coniunctum est: λαθίπονος ὀδυνᾶν.

νεόρραντος v. 30 et 828. νεόρραντον ξίφος i. e. gladius recens aspersus (sc. cruore). Aristid. II. p. 395 νεόρραντα δάκρυα.

νεοχάρακτος v. 6 ἴχνη τὰ κείνου νεοχάρακτα i. e. vestigia nuper impressa.

νιφοστιβής v. 670 νιφοστιβεῖς χειμῶνες ἐκχωροῦσιν, tempestates nives calcantes i. e quae super nives ruunt. Falso passive explicat Ellendtius ‚hiemes, quibus nivium moles peragrantur‘ nec minus Wunderus cum adnotat: ‚Nivosae hiemes. Nam νιφοστιβής significat nive densus, schneege-

drängt, schneedicht.‘ Immo active dictum est et de tempestatibus, quae super nives ruunt easque quasi vestigiis premere videntur, ut etiam *χθονοστιβής* Oed. Tyr. 301 et *πεδοστιβής* Aesch. Pers. 126 alibi, active dicuntur.

οἰοβώτας v. 614 *νῦν δ' αὖ φρενὸς οἰοβώτας ... ηὕρηται* i. e. seorsum mentem pascens; dictum de Aiacis vecordia. Unde sumpta sit locutio, scholiasta docet interpretatus: *οὐ σὺν φρεσὶν, ἀλλ' ἐκτὸς φρενῶν διάγων· ἢ ἀποπλανηθεὶς, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν πλανηθέντων προβάτων καὶ μόνων βοσκομένων.* Simillima nostrae dictioni est Aeschyli *οἰόφρων*, Euripidis *ἔξεδροι φρενῶν λόγοι.*

πολύρραφος v. 575 *πολύρραφος πόρπαξ* i. e. ansa multum suta sc. ut firma fiat. Repetunt hoc adiectivum Pallad. Hist. Laus. p. 991 *ῥάκος πολύρραφον*; Nilus Epist. CXXXVII. p. 364. Nonnus *πολυρραφής* habet.

πολύκερως v. 55 *ἔκειρε πολύκερων φόνον.* Recte schol. rec. *κείρων ἐποίησε φόνον πολλῶν κερασφόρων ζώων*, quam interpretationem iure a Lobeckii dubitatione tuitus est Wunderus in Censura Ai. Lob. p. 20 sq. — *Εὔκερως* v. 64 huius fabulae alibique extat.

πάνθυτος v. 712 *πάνθυτα θέσμι' ἐξήνυσε.* Plerique interpretes haec verba de multis sacrificiis intellegunt, quae Aiax odio in deos deposito immolaturus sit. Qua in explicatione Nauckius recte offendit, neque tamen aliam proposuit. Schol. expl. *πάνσεπτα*, Suid. *πανσέβαστα*, sed verum esse vix crediderim; immo *πάνθυτα θέσμια* sunt sacrificia in quibus nihil deest, quod, ut ceremoniae deis gratae sint, necessarium est.

τανύπους v. 837 *καλῶ . . . σεμνὰς Ἐρινῦς τανύποδας* i. e. longe gradientes, magnis passibus grassantes; ita vocantur Furiae, quod magna cum celeritate sceleratos insectantur. Recte igitur Hesychius per *ταχύποδας* explicat, Photius et Suidas per *ταχείας*, similiterque Eudocia in Violario (cf Villois. Anecd. Gr. I. p. 152). Homerus habet *ταναύπους*; *ταναόπους* ponit Eust. p. 631, 45; Aeschyli est *τανύδρομος* de iisdem Furiis; Schiller noster non dissimiliter: Längst wohl

sah ich im Geist mit weiten Schritten herschreiten das Schreckensgespenst (Spons. Mess.).

τηλωπός v. 564. Quod cum proprie sit ‚ex longinquo conspicuus', hic de Aiace procul versato Sophocles usurpat; Phil. 216 de voce, quae longe exauditur, ut similiter ibid. v. 189 *ἀχὼ τηλεφανής* ait.

στερεόφρων v. 926 idem est quod *ὠμόφρον* v. 931, qui est mente solida, rigida i. e. pertinax.

σιδηροβρώς et *νεηκονής* v. 820 *σφαγεὺς . . . σιδηροβρῶτι θηγανῇ νεηκονής*. Femininum *σιδηροβρῶτις* schol. Il. 5, 385. — *Νεηκονής* Hesych. expl. *ἠκονημένον νεωστί*; El. 1394 *νεηκόνητος* cf. p. 5; Homeri est *νεηκής*.

σιδηροκμής v. 325 *ἐν μέσοις βοτοῖς σιδηροκμῆσι θακεῖ* i. e. inter pecudes ferro caesas. Aeschyli est *δουρικμής*; *ἀνδροκμής* idem habet aliique.

φιλοίκτιστος v. 580 *κάρτα τοι φιλοίκτιστον γυνή*. Eustathii p. 1129, 43 interpretumque nonnullorum sententiam, verbis illis significari ‚misericordia facile affici mulierem', iam repudiavit Hermannus, ipse vero non minus errat interpretatus ‚lamentis mulierum facile hominum miserationem commoveri.' Quid sit *φιλοίκτιστος* bene perspexit scholiasta, cum expl. *ὀδυρτικόν*, *θρηνητικόν*. Aiax enim postquam Tecmessam ne lamentaretur adhortatus est, indignatione quadam addit: ‚nimium enim proclives sunt ad lamentandum mulieres.' — Henr. Steph. in Thesaur. perperam *φιλοίκτιστος* superlativum esse putat; est enim ab *οἰκτίζω* derivandum. Aeschyli sunt *φίλοικτος* et *φιλόδυρτος*; *φιλοικτίρμων*, quod Nauckius nescio qua de causa pro *φιλοίκτιστος* in textum recepit, saepius invenitur.

χαλκοθώραξ v. 179 *χαλκοθώραξ Ἐνυάλιος* i. e. aenea lorica indutus; aere loricatus. Iterum legitur Luc. Zeux. c. 8. Hesych. et Etym. M. *χαλκοχίτων* reddunt per *χαλκοθώραξ*; *χαλκεοθώρηξ* Hom. Il. IV, 448.

χιονόκτυπος v. 695 Dictum est de montibus Arcadiae nivibus pulsatis vel obrutis. Apud Aristoph. eodem sensu legitur *χιονόβλητος*.

χρυσόνωτος v. 847 *ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν*, inhibens habenam aureo dorso praeditam i. e. ‚ut Lob. docet, ‚bracteis vel bullis aureis superne ornatam‘. Quod Musgravius interpretatus est ‚non frenum, sed currum ipsum proprie *χρυσόνωτον* esse,‘ iure reprobatur a viris doctis. cf. Lob. ad h. l. — Eurip. habet *σιδηρόνωτος* et *χαλκόνωτος*.

ὠμόθυμος v. 885 i. e. crudeli animo praeditus, crudelis; de Aiace dictum. Iterum legitur apud rec. scriptores.

ὠμοκρατής v. 205 *νῦν γὰρ ὁ δεινὸς μέγας ὠμοκρατὴς Αἴας κεῖται.* Scholiastae dubitatio unde compositum sit hoc verbum ad interpretes recentiores propagata est, cum alii ab *ὦμος*, alii ab *ὠμός* deducendum esse putent. Atque illi quidem sententiam suam tuentur verbis Hom. Il. III, 227, quibus Aiax dicitur *ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν τε καὶ εὐρέας ὤμους*. Hanc interpretationem si sequimur, negari nequit nostrum locum simillimum esse Iliadis, praesertim cum ea quae antecedunt *ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε* iis quae Soph. praedicat aptissime respondeant. Attamen habeo quibus commovear, ne ab *ὦμος* deducendum esse *ὠμοκρατής* credam. Nam ut omittam quod aliud compositum nullum est huius verbi apud Sophoclem et apud alios scriptores rarissima sunt, Soph. Aiacem saepius *ὠμόν* dicere solet, velut v. 885 *ὠμοθυμός*, v. 931 *ὠμόφρων*; v. 548 autem Aiax ipse Eurysacem filium *ὠμοῖς ἐν νόμοις πατρός* educari iussit. Scilicet Tecmessa non in malam partem usurpavit hoc adiectivum, quae, nisi fallor, Musgravii opinio est; immo ea usa est sententia, quam invenimus in voce *ὠμογέρων*, quod M. Seyffertus confert, ‚senectus cruda viridisque‘. ut ait Vergilius. Queritur igitur Tecmessa, quod Aiax adhuc crudo ac viridi robore valens nunc gravi morbo correptus sit. Quare ex duabus scholiastae interpretationibus vera est haec: *ὁ ὠμὸς καὶ καρτερός*.

Sequitur ut verba enarrem, quorum simplicia, quae Sophocles nobis primus tradiderit, duo extant. Alterum est *αὐχενίζειν* v. 298 *τοὺς μὲν* (sc. *ταύρους*) *ηὐχένιζε κτλ.* Schol. expl. *τὸν τράχηλον ἐπέκοπτε, ἐλαιμοτόμει.* Eiusdem potestatis est apud recentiores linguae latinae auctores ‚decollare‘;

Steph. in Thesauro ‚esgorger' (nunc égorger) Francogallorum apte confert et insolentem verbi nostri usum ex Hippiatria commemorat, in qua *αὐχενίζειν* ait significare ‚loro caput equorum complecti et astringere, ad hoc ut venae intumescant et sanguis detrahatur scalpro.' Translate vero de spiritu constringendo usus est Philo Jud. vol. II. p. 372, 2. (ed. Mangey.): *διότι αὐχενίζεται τρόπον τινὰ καὶ ἄγχεται πνεῦμα ζωοφυτοῦν ἐν ἀρετώσῃ γῇ*; similiter vol. II. p. 355, 6. — *Ἀπαυχενίζειν* saepius legitur; *παραυχενίζειν* Vett. Lex.

Alterum quod extat verbum simplex *στιβέω* v. 874 invenimus:

πᾶν ἐστίβηται πλευρὸν ἕσπερον νεῶν.

Miror quod Dindorfius in Lex. Soph. *ἐστίβηται* perfectum vocat ‚tamquam ab *στιβέω* formatum'. At *ἀστίβητος* quod affert Etym. Magn. satis docet extare *στιβέω* ipsum, etsi a Sophocle demum profectum.

Enumerabo nunc verba composita, quae sunt haec:

ἀντατιμάζω v. 1339 *ἀλλ' αὐτὸν ἔμπας ὄντ' ἐγὼ τοιόνδ' ἐμοὶ | οὐκ ἀντατιμάσαιμ' ἂν κτλ.* Sic satis probabiliter Bothius correxit codicis scripturam *οὐκ ἂν ἀτιμάσαιμ' ἄν*; formatum est ut *ἀνταδικέω.*

διαφοιβάζω v. 332 *λέγεις | ἡμῖν τὸν ἄνδρα διαπεφοιβάσθαι κακοῖς.* Schol. expl. *ἐκμεμηνέναι παρὰ τὸν φοῖτον· ἢ ἀπὸ τῶν φοιβωμένων καὶ ἐνθουσιώντων. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μανίᾳ τινὶ ὅμοιον πάσχουσί τι.* Sunt qui ex illo *παρὰ τὸν φοῖτον* verbum *διαφοιβάζω* in dubium vocarint suspicati *διαπεφοιτάσθαι,* quod *φοιτάω* verbum proprium sit furoris. Non ausim hoc infitiari; nihilo setius tamen adduci non possum, ut *διαφοιβάζω* a Sophocle abiudicem. Simplex enim *φοιβάζω* non solum notionem purgandi habet, sed significat etiam mentem alicuius divino afflatu concitare. Notum autem est, quod schol. quoque docet, eos qui divino spiritu inflati sunt magna rabie affectos esse. Atque cum Aiax deo auctore furore incensus esse dicatur, Sophocles, ut hunc Aiacis statum significaret, verbo *διαφοιβάζω* sine dubio uti potuit

ἐγκαταζεύγνυμι v. 736 *νέας | βουλὰς νέοισιν ἐγκαταζεύξας τρόποις* i. e. nova consilia adiunxit novis moribus.

Lob. apte confert Cic. fam. IV, 6. ‚ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodare‘. Unus Nauckius, quantum video, *ἐγκαταζεύγνυμι* suspectum habet. Sed vereor, si talia non concedamus poetae, ne nimium constringamus libertatem dicendi.

ἐξελευθεροστομῶ v. 1258 *ὑβρίζεις κἀξελευθεροστομεῖς* i. e. libero ore uteris, libere loqueris; Hesych. *ἐξελευθεροστομέω. παρρησιάζομαι.* cf. El. 597 *κακοστομεῖν.*

εὐσκευῶ v. 823. *οὕτω μὲν εὐσκευοῦμεν.* Schol. *καλῶς παρεσκευάσμεθα καὶ ἔχομεν πάντα ὧν δεῖ πρὸς θάνατον.* Sumptum est verbum de militibus, qui sarcinis armisque ad iter faciendum bene instructi sunt.

παρευθύνω v. 1069 *πάντως θανόντος γ᾽ ἄρξομεν, κἂν μὴ θέλῃς, | χερσὶν παρευθύνοντες.* Schol. rec. expl. *παρακλίνοντες*; Hesych., Phot., Suid., *παρευθύνειν· παραφέρειν βιάζεσθαι.* Proprie *παρευθύνειν* significat avertere a via, quam quis facit. De mortuo igitur Aiace dici non posse interpretes animadverterunt, quas vero proposuerunt explicationes, eae minime offensionem sublevant; nec Morstadtii Progr. Schaffh. 1863 transmutationem versuum (1067, 1069, 1070 1068) probo, quippe qua dictio efficiatur valde dura; spurios autem esse v. 1069 et 1070, ut Nauckio placet, etiam magis refuto. Quicunque interpretes de hoc loco quaesiverunt *χερσὶν παρευθύνοντες* verba ad Aiacem retulerunt, cum potius intellegenda sint de Teucro vivo et coniungenda cum verbis quae proxima antecedunt *κἂν μὴ θέλῃς.* Accusativo *σε* igitur facile ex *θέλῃς* subaudito Menelaus ita minatur: mortuo quidem potiemur, etsi non vis, per vim te avertentes (sc. ab Aiacis sepultura).

προσεμβαίνω v. 1348 *οὐ γὰρ θανόντι καὶ προσεμβῆναί σε χρῇ*; i. e. insuper insultare; eodem sensu usurpantur *προσεπιβαίνειν* et *ἐπεμβαίνειν.* Propria vero ingrediendi notione hoc verbo utitur Dioscor. Mat. med. 5, 19: *καὶ εἰ προσεμβαίνει τις εἰς θερμὸν αὐτό, ὠφελεῖ.*

προφύω v. 1291 *σοῦ πατρὸς μὲν ὃς προὔφυ πατήρ* i. e. qui ante extitit.

συγκαθαρμόζω v. 922 *πεπτῶτ' ἀδελφὸν τόνδε συγκαθαρμόσαι.* Novo verbo insolentem poeta subiecit notionem, de qua et sententiarum nexu et scholiastae interpretatione *περιστεῖλαι σὺν ἡμῖν* satis constat, quamquam *καθαρμόζειν* nihil significat nisi accommodare. Sed utcumque res se habet, quod Wolffius proposuit *συγκαθορμίσαι* etiam magis alienum est. Nil dicam quod verbum illud ante Polybium nusquam legitur; sed cum emendationem suam sustineri putat eo, quod Salaminii multas sententiarum et verborum figuras e rebus nauticis maritimisque transferant, eum fugit verba illa esse Tecmessae, ad quam certe illud pertinere nequit.

πλευροκοπῶ v. 236 *τὰ δὲ πλευροκοπῶν δίχ' ἀνερρήγνυ* i. e. alias (sc. oves) feriens costas vel latus etc.

Iam venimns ad adverbia huius fabulae, quae tria sunt

ἀνοιμωκτί v. 1227 *ὧδ' ἀνοιμωκτὶ χανεῖν* i. e. *ἄνευ οἰμωγῆς*; sed cum *οἰμώζειν* eius sit, qui poena afficitur, *ἀνοιμωκτί* valet etiam *ἀτιμωρήτως*, quo sensu Soph. usus est. — Legitur praeterea Eust. opusc. 104, 67.

φρενομόρως v. 626. *μάτηρ νιν ὅταν νοσοῦντα φρενομόρως ἀκούσῃ.* Meinekius Oed. Col. p. 280, Dindorfius Lex. Soph., Nauckius hoc verbum damnaverunt, diuque dubitavi an acquiescendum esset in eorum sententia. Attamen quamvis magna sit et gravis illorum virorum auctoritas in scriptoribus antiquis, hic nimis proclives ad dubitandum fuisse mihi videntur. Negant enim fieri posse, ut *φρενομόρως*, id quod desideratur hoc loco, idem valeat, quod *φρενοβλαβῶς* Aeschyli, quoniam, ut Dindorfio videtur, ‚si unquam exstitisset, de eo potius dicendum foret qui mentis particeps quam qui mente captus esset‘, et Meinekius quod scholiasta adnotat *ἀντὶ τοῦ εἰς τὴν μοῖραν τῶν φρενῶν νοσοῦντα, ὅ ἐστι φρενοβλαβῶς, μανικῶς* ‚ita tantum probari posse ait, si graeca lingua verbum *μορεῖν* haberet idque *βλάπτειν* significaret‘. Atque hoc recte quidem. Miror autem, quod fugisse videntur virum doctum quae in Etym. M. p. 491, 11 legimus: *μόρος γὰρ ἡ κακοπάθεια· ἀπὸ τοῦ μορῆσαι, ὅ ἐστι κακοπαθῆσαι*: neque enim video

cur haec contemnamus. Nonne his id quod Meinekius postulat expeditur? Haec autem mala pars verbi *μόρος* elucescit etiam cum ex Hesychii glossa: *μόρος· φόνος, φθόνος, πόνος, νόσος,* tum ex Sophoclis ipsius usu, qui Oed. Col. v. 161 adiectivum *πάμμορος* adhibet, ita ut hominem omni ex parte infelicem significet. *Φρενομόρως* igitur de eo dicitur, qui mente laborat apteque chorus Aiaci deditus insaniam eius hoc molliore verbo exprimit.

ὑψικόμπως v. 766 *ὁ δ' ὑψικόμπως κἀφρόνως ἠμείψατο* i. e. superbe, arroganter, iactanter.

In Antigona

plurima inveniuntur verba singularia; atque substantiva quidem exstant haec:

ἀγχιστεῖον v. 174 *θρόνους ἔχω | γένους κατ' ἀγχιστεῖα τῶν ὀλωλότων.* Schol. expl. *κατ' οἰκειότητα, κατὰ συγγένειαν.* Multo tritior est *ἀγχιστεία* forma, de qua copiosius agitur in Bekk. An. p. 213, 15.

ἁμιλλητήρ v. 1065 *κάτισθι μὴ πολλοὺς ἔτι | τρόχους ἁμιλλητῆρας ἡλίου τελῶν* i. e. certationes; adiective usurpatum est. Legitur etiam Nonn. Paraphr. Joan. c. 16,56; c. 7,158.

γενῇς v. 249 *ἐκεῖ γὰρ οὔτε τοῦ γενῇδος ἦν | πλῆγμ', οὐ δικέλλης ἐκβολή.* Hesych. *γενῇδα· ἀξίνην, πέλεκυν,* eodemque modo Brunckius, quem laudat Wunderus, interpretatus est: ‚ibi enim neque securi quid erat caesum, neque ligone effossum'. Quid igitur Polynicis corporis pulvere tegendi causa securi caedendum erat? Id enim quomodo factum sit custos se nescire ait. Quare novae formationi novum sensum a tritiore *γένυς* diversum tribuisse poetam putabimus, quod docet Musgravius, cum *γενῇς* ligonem intellegi vult, ‚diversum quidem a *δικέλλη,* ut sunt ubique duo ligonum genera, unum quod supra caput elevatur, aliud quod pedis ope deorsum in terram deprimitur'.

κοιρανίδης v. 940 *λεύσσετε Θήβης οἱ κοιρανίδαι.* Schol. expl. *κοίρανοι.* Ita Antigona chorum compellat, qui ex primoribus urbis constat. De patronymica apellativorum forma cf. *ἁλιάδης* p. 21.

δυσχείρωμα v. 126 *τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη | πάταγος Ἄρεος, ἀντιπάλῳ δυσχείρωμα δράκοντι.* Simplex *χείρωμα* ter reperitur apud tragicos et significat id quod facile tractu vel factu est; *δυσχείρωμα* igitur est opus difficile factu. Ita autem dicitur impetus Thebanorum quo Argivi repulsi sunt, quod ut efficeretur maximis tantum conatibus contigit *Ἀντίπαλος δράκων* igitur mea sententia sunt Thebani, non, ut Boeckhio videtur, Argivi, quippe quos antea cum aquila comparaverat poeta.

ὀρνιθοσκόπος v. 999 *ἐς γὰρ παλαιὸν θᾶκον ὀρνιθοσκόπον ἵζων κτλ.* Ammonius p. 104 (ed. Valck.) quaerens quid intersit inter *ὀρνιθευτής* et *ὀρνιθοσκόπος* ait: *ὀρνιθοσκόπος δὴ ὁ οἰωνοκόπος* Praebent hoc verbum etiam Pollux VII, 188. Arcad. p. 88, 26 de accentu compositorum a verbo *σκοπῶ* derivatorum disserens.

πανσαγία v. 107. *τὸν .... Ἀργόθεν ἐκ φῶτα βάντα πανσαγίᾳ | ... ὀξυτέρῳ κινήσασα χαλινῷ.* Hesych. et Etym., M. 16. reddunt per *πανοπλία,* itemque schol. Aristoph. Acharn. 574: *σάγη τὸ ὅπλον· καὶ πανσαγία, ἡ πανοπλία.* Adrasti igitur exercitus omnibus armis ornatus erat. — De v. 106, qui metro laborat, multi multa machinati sunt; equidem Hermannum sequor, qui post *Ἀργόθεν* praepositionem *ἐκ* addit.

παραγκάλισμα v. 650 *εἰδὼς ὅτι | ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται, | γυνὴ κακὴ ξύνευνος ἐν δόμοις.* Schol. expl. *φίλημα, κοινώνημα, παρακοίμημα,* alia. Simplex *ἀγκάλισμα* saepius extat; *ὑπαγκάλισμα* Soph. Trach. 540; Eurip. Troad. 757. Hel. 242.

Transeo nunc ad adiectiva, quorum simplicia inveniuntur haec:

μαρμαρόεις v. 610 *κατέχεις Ὀλύμπου μαρμαρόεσσαν αἴγλαν* i. q. *μαρμάρεος.* Hesychii glossa: *μαρμαρόεντα· λάμποντα* aliunde sumpta videtur.

μιτώδης v. 1222 *τὴν μὲν κρεμαστὴν αὐχένος κατείδομεν | βρόχῳ μιτώδει σινδόνος καθημμένην.* Quod in plerisque codd. legitur *μιτρώδει* a schol. profectum est, qui sine dubio quod exempla suspendii zona facti non desunt apud veteres, ad hanc mutationem adductus est. Itaque Brunckius iure *μιτώδει* restituit; sed quod dicit *βρόχος μιτώδης* idem esse ac *βρόχος εὔμιτος*, errare mihi videtur, cum *εὔμιτος* de tenuitate lini dicatur, quae significatio in *μιτώδης* inesse non potest. *Μιτώδης* enim nihil valet nisi ,ex filis confectus' recteque Herm. *βρόχος μιτώδης* dictum esse monet pro *βρόχος ἐκ μίτων σινδόνος.* Antigona igitur lintea retexuit eorumque ex filis laqueo nexo se suspendit.

στέροψ v. 1129 *στέροψ λιγνύς* i. e. lucidus, fulgidus (*στεροπή*).

Iam subsequuntur adiectiva composita, quae praepositionibus vel aliis particulis additis effecta sunt:

ἀμφίθηκτος v. 1309 *ἀμφίθηκτον ξίφος* i. q. *ἀμφιθηγής*, utrimque acutus, bipennis.

ἀμφικίων v. 285 *πότερον . . . ἔκρυπτον αὐτόν, ὅστις ἀμφικίονας | ναοὺς πυρώσων ἦλθε κτλ* i. e. templa circumcirca columnis suffulta vel circum columnata.| Versus 285—88. Nauckius cancellis sepsit. Suspectum enim habet *ἔκρυπτον*, quod per se pro *θάπτειν* dici non possit. Quod argumentum licet alibi valeat, hic tamen inane videtur, quippe cum toto hoc loco de Polynicis sepultura agatur, ut *κρύπτειν* ambiguum esse nequeat. Deinde dubitat Nauckius de sententia v. 288: ,num malefici a deis honorentur'. De quo recte Wecklinus[1]) ait, ,Creontem talia addere omnis scrupuli ex animis senum eximendi causa'.

ἀμφίλοφος v. 361 Hunc versum, quem Laur. ita scriptum exhibet: *ἵππον ἕξεται ἀμφίλοφον ζυγόν*, depravatum esse satis constat, minime vero quomodo sanandum sit mendum apparet. Utut autem res se habet, *ἀμφίλοφος* quidem offensionis nihil praebet. Eorum enim qui quaesiverunt de hoc loco nonnulli *ἀμφίλοφον* quoque tentarunt et *ἀμφὶ λόφον* scribendum censuerunt. Quod verbum cum recte formatum esse,

[1]) Ars Sophoclis emendandi p. 145.

velut ἀμφίκρηνος, ἀμφιβρότη, ἀμφίπτολις, alia, tum magis ex poetico usu fieri iure monet Wolffius.

ἀρρώξ v. 251 γῆ .... ἀρρώξ i. e. non proscissa; frg. 168. de armis dictum; καταρρώξ Phil. 937.

δυσήνεμος et ἀντιπλήξ v. 591 sq. κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν | θῖνα, καὶ δυσήνεμοι | στόνῳ βρέμουσιν ἀντιπλῆγες ἀκταί. Recte schol. δυσήνεμον] τὴν ὑπὸ ἀνέμων ταραχθεῖσαν; Hesych. δυστάραχον· τὸ κακοὺς ἀνέμους ἔχον. Laur. δυσήνεμον exhibet et cum θῖνα coniuugit, quod vix fieri potest. Itaque Linwoodius facillima mutatione usus lectionem quam supra dedimus proposuit, qua cum emendatione congruit Apoll. Rhod. Argon. I, 592 ἀκτήν τ' αἰγαλεόν τε δυσήνεμον. — Dionys. Perieg. 759. δυσήνεμος χθών; Oribas. p. 231 δυσήνεμος καὶ πνιγώδης χώρα. — Ἀντιπλῆγες ἀκταί sunt litora adversis fluctibus verberata: Hom. Od. V, 415 παραπλῆγες ἠϊόνες, orae obliquis fluctibus percussae: cf. Nitzsch. ad h. l.

δίλοφος v. 1126 δίλοφος πέτρα i. e. biceps; de Parnaso dictum. Eur. Bacch. 307 δικόρυφον πλάκα.

δύσαυλος et δύσομβρος v. 355 sq. ἐδιδάξατο ... δυσαύλων | πάγων ὑπαίθρεια καὶ | δύσομβρα φεύγειν βέλη. Schol. δυσαύλων] δυσχερῆ τὸν ἐπαυλισμὸν ποιούντων. Extat etiam frg. 84, ex quo Hesych. δυσαύλιστος explicat. Aesch. aliique δυσαυλία habent. Quae sint δύσομβρα βέλη Eust. p. 692, 55 docet his verbis: τοὺς ῥαγδαίους ὑετοὺς καὶ μάλιστα τοὺς χειμερίους.

ἐπίφαντος v. 841 οὐκ οἰχομέναν ὑβρίζεις, ἀλλ' ἐπίφαντον i. e. qui comparet indeque vivus. Similiter Phil. 1212 οὐ γάρ ἐστ' ἐν φάει γ' ἔτι. cf. περίφαντος p. 11.

εὐώψ v. 530 τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν. Vis pulchritudinis tantum exprimitur, altera compositionis parte, ut saepe fit, neglecta Legitur iterum Oed. Tyr. 188 εὐῶπα πέμψον ἀλκάν i. e. auxilium secundum, bonum. Lycophron. 23 κόραι εὐῶπες.

κατασκαφής v. 891 κατασκαφὴς οἴκησις. Schol. expl. κατεσκαμμένη, ὑπόγειος. Κατασκάπτειν cum proprie sit suffo-

dere muri vel aedificii diruendi causa, *κατασκαφῆς* hic significationem verbi *κατορύσσειν* sequitur, quod est defodere. Pro *κατασκαφῆς οἴκησις* v. 920 uno verbo *κατασκαφή* utitur poeta.

καταρρυής v. 1010 *καὶ καταρρυεῖς* | *μηροὶ καλυπτῆς ἐξέκειντο πιμελῆς*. Bene de hoc loco Boeckhius disseruit: ‚Die *μηροὶ* heissen nicht *καταρρυεῖς*, weil sie herabgeflossen wären aus dem Haufen oder vom Altar, wie Musgrave glaubte, sondern weil die Fettumwickelung von ihnen herabgeflossen ist, weshalb sie denn bloss lagen (*ἐξέκειντο*). Denn dasjenige, wovon oder woraus etwas fliesst, wird nach antikem Sprachgebrauch selber fliessend genannt: wie culter manat cruore; *πρόσωπον ἱδρῶτι ῥεόμενον* u. dergl.‘

περιβρύχιος v. 336 *περιβρυχίοισιν* | *περῶν ὑπ᾽ οἴδμασιν*. Ambigit schol. de interpretatione huius adiectivi. Verba eius enim sunt haec: *χωρεῖ περιβρυχίοισιν*] *τοῖς ἠχώδεσιν, ἢ τοῖς καλύπτουσι τὴν ναῦν .... ἢ τοῖς κυματίζουσι τὴν ναῦν· τὸ μὲν γὰρ καθόλου κεκρυμμένον ὑπὸ ὕδατος, ὑποβρύχιόν ἐστιν*. Quid ex his sit verum facile perspicitur. Nam a verbo *βρύχειν* ideo iam, ut monet Passov. Lex. Gr., *περιβρύχιος* duci nequit, quod hoc *υ* corripit, illud producit. Itaque repetendum est a substantivo *βρύξ*, quod est ‚mare dehiscens‘, unde schol. *ὑποβρύχιος* recte ait esse ‚plane aqua obrutus;‘ *περιβρύχια οἴδματα* igitur sunt undae maris circum hiantes, quibus procella verberatis periculum est ne navis hauriatur. Quare perperam nonnulli interpretes, priorem scholiastae explicationem secuti, *περιβρύχιος* vernacula lingua vertunt ‚ringsumbraust‘ vel ‚lautumtost.‘

Videamus nunc quae et qualia sint adiectiva ex duobus nominibus composita:

αὐτόγνωτος v. 875 *σὲ δ᾽ αὐτόγνωτος ὤλεσ᾽ ὀργή*. Schol. *αὐτόγνωτος ὀργή*] *αὐθαίρετος καὶ ἰδιογνώμων τρόπος*. cf. Etym. M. p. 173. 38. Eiusdem originis est *αὐτογνώμων*, quod Bekk. An. p. 19. explicatur: *ὁ τῇ αὐτοῦ γνώμῃ πάντα πράττων καὶ μὴ πειθόμενος ἑτέρῳ*. Bene igitur Erfurdtius *αὐτόγνωτος* interpretatur ‚qui ex sua tantum animi sententia (*γνώμῃ*) unum-

quitque agit.' Aesch. Sept. 1053 de eadem Antigona *αὐτόβουλος* dicit.

βαρυβρεμέτης v. 1116 *Διὸς βαρυβρεμέτα γένος* i. e. graviter strepentis, tonantis. *Βαρυβρεμέτειρα* Orph. Hymn. X. 25; *βαρύβρομος* saepius extat; *βαρυβρομήτης* Anth. Pal 7, 394.

δεξιόσειρος v. 140 *Ἄρης δεξιόσειρος.* Haec translatio sumpta est de quadrigis, in quibus equorum alteri erant iugales (*σειραφόροι, σειραῖοι*), funales (*ζύγιοι*) alteri. Atque ex his maxime dexter necesse erat ut celer esset ac robustus, quippe quem, cum sinistrorsum veheretur in curriculo, maiorem oporteret viam facere. Mars igitur hoc adiectivo ut fortis ac validus Thebanorum adiutor significatur; praeterea autem, ut recte monet Boeckhius, felix certaminis eventus (*δεξιός*) indicatur. Simili translatione usus Aesch. Agam. 842 de Ulixe: *ἕτοιμος σειραφόρος*; Eurip. Orest. 1017 de Pylade *παράσειρος.*

δημόλευστος v. 36 *ὃς ἂν τούτων τι δρᾷ, | φόνον προκεῖσθαι δημόλευστον ἐν πόλει.* Quam mortem Ai. 253 *λιθόλευστον Ἄρη* vocat; Aesch. Sept. 199 *λευστῆρα δήμου μόρον.*

δικτυόκλωστος v. 346 *ἄγει .... πόντου τ' εἰναλίαν φύσιν σπείραισι δικτυοκλώστοις,* i. e. in retis modum nexis. Nauckius recte *σπείραισι δικτυοκλώστοις* abundantia quadam dictum esse ait, velut *εὐήρετμος πλάτα, βίοτος εὐαίων,* alia.

κακάγγελτος v. 1286 *κακάγγελτ' ἄχη* i. e. dolores ex malo nuntio excitati. Schol. perperam active: *κακὴν ἀγγελίαν ἔχοντα.* — *κακάγγελος* Aesch. Agam 636.

κυνοσπάρακτος v. 1198 *ἐνθ' ἔκειτο νηλεὲς | κυνοσπάρακτον σῶμα Πολυνείκους ἔτι* i. e. corpus canibus laceratum. Eodem adiectivo utitur Steph. Byz. *Βορμίσκος,* qua in regione Macedoniae Euripidem ait tali morte periisse; Nonn. Dionys. 8,386, alibi *κυνοσπάς* de Actaeone.

λιθοσπαδής v. 1216 *ἁρμὸν χώματος λιθοσπαδῆ | δύντες πρὸς αὐτὸ στόμιον, εἰ τὸν Αἵμονος | φθόγγον ξυνίημι* i. e. per rimam saxis evulsis factam intrantes. Schol. duplicem praebet huius loci explicationem, alteram: *ὡς λίθου ἀποσπασθέντος, ὅπως εἰσέλθῃ ὁ Αἵμων,* alteram: *ἢ ὑμεῖς ἀποσπάσαντες ἀθρή-*

σατε. Herm. priorem dicit veram, cum ‚ad Antigonam pervenire non posset Haemon, nisi evulsis lapidibus, quibus obstructus erat speluncae aditus‘. Quod quamquam re vera ita erat, tamen haud scio an altera interpretatio excitato Creontis animo magis conveniat, qui, ut bene monet Wunderus, summo dolore obstupefactus famulos saxis quam celerrime remotis in speluncam intrare iubet neque curat, quomodo Haemon eo pervenerit. — Non minus audacter dictum ut hic *ἁρμὸς λιθοσπαδής* extat Phil. 290 *νευροσπαδὴς ἄτρακτος* ‚sagitta cum nervo retracta itaque missa‘.

λακπάτητος v. 1275 *λακπάτητον ἀντρέπων χαράν* i. q. *λὰξ πατητός*, proculcatus. Hom. Il. VI, 65 *λὰξ ἐν στήθεσι βῆναι*, aliaque; Aesch. Eum. 110 *καὶ πάντα ταῦτα λὰξ ὁρῶ πατούμενα.* Postea duo verba in unum contracta sunt; sic ex Pherecrate *λακπατεῖν* exhibet Photius; Hesych. *λακπατῆσαι· λακτίσαι, καταπατῆσαι.* Quamquam scriptura incerta esse videtur inter *ξ* et *κ*. Etenim Etym. M. docet attice dici *ἔξπους ἔξκλινος*, ut apud Sophoclem (frgm. 876) *ἐξπηχυστί*; codicum discrepantiam, qui partim *λακπάτητον* partim *λαξπάτητον* praebent, Eust. p. 625, 22 iam commemorat. Sed cum Soph. Oed. Tyr. 1137 *ἔκμηνος* – hoc enim sine ulla dubitatione pro *ἔμμηνος* recte restituit Porsonus — dicat et Eur. El. 883, Med 1181 *ἔκπλεθρος*, non est cur recedamus a Laurentiani codicis lectione *λακπάτητος.* Quod vero Lobeckio Phryn. p. 414 visum est, ‚Tragicos formam proprie atticam ut nimis vernaculam et popularem repudiasse‘, id ex duobus tantum exemplis concludere et per se nimis temerarium est et Sophoclis adverbio *ἐξπηχυστί* reprobatur.

ὀξυκώκυτος v. 1316 *ὀξυκώκυτον πάθος* i. e malum acute, vehementer deploratum; solutis verbis utitur Hom. Il. XVIII, 71 *ὀξὺ κωκύσασα.*

ὀρθόκρανος v. 1203 *καὶ τύμβον ὀρθόκρανον ..... χώσαντες*, altum caput habens i e. altus.

ὀρθόπους v. 985 *ὀρθόπους πάγος* i. q. *ὄρθιοι πάγοι* frg. 110. Iterum legitur Nicand Alex. 419 de infantibus qui nutrice adiuvante se sustinent; Gregor. Nazianz. vol. II, p. 10 A. de eo qui stabilis et firmus est in vera fide.

πάμπολις v. 614 *τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον | καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει | νόμος ὅδ'. οὐδὲν ἕρπει | θνατῶν βιότῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτης.* Quae verba ut iam scholiastae magnam moverunt difficultatem, sicut ex variis quas protulit interpretationibus satis apparet, ita postea quoque sagacitatem artemque criticam interpretum exercuerunt. Etenim quantamcunque explicando emendandoque huic loco operam dederunt, tamen nondum profligata et ad exitum ducta quaestio est. Sed quas proposuerunt coniecturas [1]), eas omnes percurrere et longum est et inutile, cum partim iam satis sint refutatae, partim refutatione non dignae. Id sane neminem fere fugit, loci simplicitatem verborumque congruentiam turbari *πάμπολις* adiectivo ,quamquam sunt quoque qui *ἕρπον* pro *ἕρπει* posito *πάμπολις* servari velint, duritate structurae quam Sophocli inculcant contempta. Quare rectius egisse mihi videntur ii qui poetam ab hoc crimine liberaturi aliud adiectivum sententiae aptum quaesiverunt. Atque maxime mihi quadrare videtur Heathii coniectura, qui facillima mutatione usus scripsit: *πάμπολύ γ' ἐκτὸς ἄτας*, ,nihil, ut optime explicat Meinekius, quod quidem nimium est'.

παντογήρως v. 606 *ὕπνος ὁ παντογήρως.* Hoc epitheton somno tribui non posse tam copiose exposuerunt interpretes, ut nihil habeam quod addam. Quas vero tentaverunt emendationes — sunt autem innumerabiles —, harum fortasse Bambergeri *παντοθήρας* maxime convenit

παντοπόρος v. 360 i. e. qui ad omnes res viam ac rationem novit; *εἰς πάντα μηχανὰς ἐξευρίσκων* schol.

παγκοίτης v. 804 *τὸν παγκοίτην .... ὁρῶ θάλαμον* i. e. *τὸν πάντας κοιμίζοντα* schol. Similiter Oed. Col. 1563 de Plutone: *τὰν παγκευθῆ νεκρῶν πλάκα.* Magis in usum veniunt *πάγκοινος* et *πολύκοινος.* Quod v. 810 huius fabulae legitur *ὁ παγκοίτης Ἅιδης*, Blaydesius *ὁ πάγκοινος* scribi vult,

---

1) cf, Wex. Antig. II, p. 171 — Bonitz. Sitzungsber. d. Wien. Akad. 1857 XXIII, p. 362.

nescio an iure, cum et metro antistrophico accuratius congruat et facile ignorantia librarii propter vicinum *παγκοίτης* permutari potuerit.

πολυάρματος v. 194 *Ἡ πολυάρματος Θήβη* i. e. curribus dives; sic de eisdem Thebis usurpantur *εὐάρματος*, *φιλάρματος*, *χρυσάρματος*, *ῥιμφάρματος*.

τριπόλιστος v. 858 *ἐψαύσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας | πατρὸς τριπόλιστον οἶτον | τοῦ τε πρόπαντος | ἁμετέρου πότμου | κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν.* Quorum verborum structura cum non parvum negotium facessat interpretibus, *τριπόλιστος* adiectivum unde ducendum sit quidque valeat Boeckhius recte intellexit. Hermanni enim suspicionem emendationemque reiciens docet *πολίζειν* hic non esse ‚condere', sed aliam formam verbi *πολεῖν*, quam olim extitisse ex Pindarico *ἀναπολίζειν ἄρουραν* credere licet. *Τρίς* autem velut in aliis quoque verbis, quorum Boeckhius et Wolffius plura afferunt exempla, ad augendam notionem valet. Recte igitur schol. rec. *τριπόλιστον*] *πολλάκις ἀναπεπολημένον· ἢ διάσημον καὶ πολούμενον.*

τυμβόχωστος v. 849 *πρὸς ἕρμα τυμβόχωστον ἔρχομαι τάφου ποταινίου* i e. proprie ‚in tumuli modum congestus;' hic autem dictum de sepulcro quod in tumuli modum in saxo factum est.

ὑστεροφθόρος v. 1074 *τούτων σε λωβητῆρες ὑστεροφθόροι | λοχῶσιν Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐρινύες.* Schol. *αἳ ὕστερον μέλλουσαι βλάψαι.* De iisdem Furiis Aesch. Eum 58 *ὑστερόποινον Ἐρινύν.*

ὑψίπολις v. 70 *νόμους γεραίρων .... ὑψίπολις· ἄπολις ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν ξύνεστι* i e. altus, honoratus in urbe; qui alto in loco civitatis collocatus est. Apte Wolffius confert Eur. Troad. 1291 *ἁ δὲ μεγαλόπολις ἄπολις ὄλωλεν .... Τροία.*

Iam pertractatis adiectivis transeamus ad verba. Atque simplicia quidem duo habeo. Alterum *ταντaλόω* v. 134 *ἐπὶ γᾷ πέσε ταντaλωθείς.* Schol. expl. *διασεισθείς* collato ex Anacreonte *ταντaλίζειν*, de quo Hesychius: *ταντaλίζεται· σαλεύεται* et *ἐταντaλίχθη· ἐσείσθη.* Verba *ταντaλόω, ταντaλίζω,*

ταντaλεύω et *ταλαντόω, ταλαντίζω, ταλαντεύω*, quae proprie dicuntur de librae vacillationibus, inter se distingui non videntur, nisi quod haec transitivo sensu, illa intransitivo adhibentur, sed fit etiam ut notione commutata usurpentur. Sic nostro loco *ταντaλόω* ex intransitiva notione labendi abit in transitivam labefactandi, iactandi.

Alterum verbum simplex est *λυσσαίνω* v. 633 *τελείαν ψῆφον ἆρα μὴ κλύων | τῆς μελλονύμφου πατρὶ λυσσαίνων πάρει*; Nauckius et Meinekius quod, gravius sit hic vehementiusque *λυσσαίνω* nec cum dativo coniungi possit, praetulerunt illud quod in Laur. adscriptum est *θυμαίμων*. Dativum autem *πατρί* non ex *λυσσαίνων*, sed ex *πάρει* aptum esse iam monuit M. Seyffertus; atque si Haemon propter mortem Antigonae sibi sponsae dolore et ira vehementissime exardescit, quid mirum? De tali autem animi motu Soph. v. 492 huius fabulae etiam *λυσσάω* usurpat.

Pergo nunc ad verba composita, quae omnia praeter unum additis praepositionibus facta sunt:

ἀμφινοέω v. 376 *ἐς δαιμόνιον τέρας ἀμφινοῶ | τόδε, πῶς εἰδὼς ἀντιλογήσω κτλ.* i. e. ambigo, dubito.

ἐκπέλει v. 478 *οὐ γὰρ ἐκπέλει | φρονεῖν μέγ' ὅστις δοῦλός ἐστι τῶν πέλας.* Hesych. *ἐκπέλει· ἔξεστι* itemque imperfectum *ἐξέπελεν, ἐξεγένετο.*

ἐκπροτιμάω v. 913 *τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ | νόμῳ* i. e. praecipue, valde honorare.

ἐφαγνίζω v. 196 et *ἐφαγιστεύω* v. 247. Utrumque de inferiis adhibetur; illud in glossis explicatur: *ἐπὶ τῷ τάφῳ ἁγνίσαι τὰ πάντα, ἃ* et *ἐπὶ τῷ τάφῳ ὁσίως ποιῆσαι.*

καθευρίσκω v. 395 *κόρην ἄγων τήνδ', ἣ καθευρέθη τάφον | κοσμοῦσα.* Iustam causam, cur hoc verbum a Sophocle abiudicemus, ut nonnullis placuit, non video. Apte enim huic verbo congruunt, quae custos v. 397 de capta Antigona dicit: *ἀλλ' ἔστ' ἐμὸν θοὔρμαιον.* Iterum legitur Luc. Ocyp. 68; Galen. vol. II, p. 170.

καταρνέομαι v. 442 *φῂς ἢ καταρνεῖ μὴ δεδρακέναι*

τάδε; i. q. *ἀπαρνέομαι*. Bene Dindorfius adnotat ‚illo verbo propter solam metri necessitatem Sophoclem usum esse, unde versu proximo ad usitatum redierit *ἀπαρνοῦμαι*'.

ἀντιχαίρω v. 149 *ἀλλὰ γὰρ ἁ μεγαλώνυμος ἦλθε Νίκα | τᾷ πολυαρμάτῳ ἀντιχαρεῖσα Θήβᾳ*. Plerique interpretes in explicando hoc verbo scholiastam secuti sunt, qui, quod Thebani Victoriam coluerint, hanc et ipsam illis favisse ait, ut *ἀντιχαρεῖσα* positum sit pro *ἀντιχαριζομένη*. Sed magis placet interpretatio quam primus dedit Bonitzius l l. p. 332. Docet enim genuinam i. e. localem vim *ἀντί* praepositionis retinendam esse, velut in verbis *ἀντιβλέπω*, *ἀντιδέρκομαι*, *ἀντιλάμπω*, aliis; *ἀντιχαρεῖσα ἦλθε* igitur significare: freudig entgegen kam i. e. freudig begrüssend — nostrates dicunt ‚entgegenlächelnd' — kam zum wagenreichen Thebe die ruhmvolle Nike. — Duobus aliis quibus *ἀντιχαίρω* legitur locis ad nostrum explicandum nihil proficitur, quorum alter est Eust. opusc. p. 275,20, alter Eust. Erot. p. 25.

ἀπορροιβδέω v. 1021 *οὐδ' ὄρνις εὐσήμους ἀπορροιβδεῖ βοάς*. Schol. expl. *ἀπηχεῖ, ἀφίησιν*. Alia composita multa sunt velut *ἐκ-*, *ἀναρ-*, *ἐπιρροιβδέω*.

ἐπαμαξεύω v. 251 *στύφλος δὲ γῆ .... οὐδ' ἐπημαξευμένη τροχοῖσιν* i. e. ‚nec plaustri sulcata rotis'. Reisigius Comm crit. in Oed. Col. p. 380 oblitteratum spiritum deformitatem Atticae dialecti vocat, quare scribendum censet *οὐδέ γ' ἡμαξευμένη*. Spiritum autem substantivi *ἅμαξα* certae regulae subiectum non fuisse cum ex Vett. Lex., quae et *καταμαξεύω* et *καθαμαξεύω* scribunt (cf. Steph Thesaur. v *καθαμαξεύω*), apparet, tum ex his Eustathii p. 1156, 19 verbis: *τὸ δὲ ἅμαξα οἱ μὲν παλαιοὶ ψιλοῦσι, καὶ φέρονται καὶ συναλοιφαὶ τοῦτο δηλοῦσαι οἷον, τιλλέσθην ἐπ' ἅμαξαν, καὶ, αἳ δ' ἐπ' ἅμαξαν, καὶ, αἳ δ' ἐπ' ἀμαξητόν, καὶ κατημαξευμένον· οἱ μέντοι νεώτεροι Ἀττικοὶ ἐδάσυναν καὶ διὰ δασείας συνήλειψαν, καθημαξευμένα εἰπόντες, ὥς φασιν οἱ παλαιοί*. Alia exempla interaspirationis omissae Wolffius affert, velut *ἀντήλιος*, *λεύκιππος*, plura.

προσαύω v. 619 *πρὶν πυρὶ θερμῷ πόδα τις προσαύσῃ*. Quod verbum cum olim reiceretur variisque coniecturis

compensaretur, nunc recte formatum esse satis constat, quamquam quid valeat dissentiunt interpretes. Lob. enim, quem plerique recentiores sunt secuti, Ai. p. 358 ex Poll VI, 88 verbis *ἐξαῦσαι τὸ ἐξελεῖν*, ,unde Etym. M. p. 346, 58 nomen *ἐξαυστήρ* ducit, quod convenit latino nomini exemplum, ut creagra dicta est ab eximendo, idemque instrumentum *αὐστήρ* vocatum est', *αὔειν* idem esse ait quod *αἴρειν*; *προσαύσῃ* igitur recte exponi in glossa per *προσάρῃ* sive *προσαρμόσῃ*. Sed licet extiterit eius notionis verbum *αὔειν*, maiorem tamen auctoritatem etfidem habet Nauckius, qui *προσαύσῃ* hic idem valere dicit ac *προσκαύσῃ*. Hoc enim sensu *αὔειν* legitur Hom. Od. 490 saepiusque in compositis, velut *ἀφαύειν*, *καταύειν*, *ἐναύειν*.

συγκαταίθω v. 1202 *ἐν νεοσπάσιν | θαλλοῖς ὃ δὴ λέλειπτο συγκατήθομεν* i. e. *συγκατακαίω*, comburo.

συνέχθω et *συμφιλέω* v. 523 *οὔτοι συνέχθειν ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν*. *Σὺν* praepositionem verbi *συνέχθειν* non orationis aequabilitatis ac similitudinis causa additam esse, ut nonnullis visum est collato El. v. 13., sed necessariam esse et consulto a poeta adiectam scholiasta mihi persuasit, quo nisus verba illa Antigonae recte ita explicat Wexius: ,Si fratres, ut tibi (Creonti) videtur, non in gratiam secum redierunt, ad me certe nihil hoc pertinere puto, quae, quem alii amant, amare quidem, neque vero, quem alii odio habent, et ipsa odisse possum. Utcumque illa erga se ipsi affecti sunt, ego amabo utrumque fratrem.'

ὑπερεχθαίρω v. 128 *Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει* i. e. graviter odit.

Ut iam antea monui, unum extat in hac fabula verbum cum nomine compositum, *αὐτοκτονέω* v. 56 dico: *ἀδελφὼ δύο μίαν καθ' ἡμέραν | αὐτοκτονοῦντε* i. e. *ἀλληλοφονοῦντε*. Sic Aesch. saepius *αὐτοκτόνος* utitur.

Iam vero cum adverbia quae novaverit Sophocles in hac fabula non habeam, transeo ad enumerandas reliquarum tragoediarum et fragmentorum voces singulares. Itaque

In Trachiniis

haec inveniuntur substantiva: v. 770 *ἀδαγμός*. v. 32 *γήτης* (Steph. Byzant. v. *γῆ*) v. 285 *θέλκτρον*. v. 1001 *ἰατορία* (Gregor. Naz Epigr. 91, 92 Euseb. Praep. ev. 3, 14). v. 793 *λυμαντής*. v. 925 *περονίς* (Jos. Ant. Jud. III, 6, 6. III, 7, 5). v. 1138 *στέργημα* (frg. 227). v. 502 *τινάκτωρ* (Eudocia. p. 342 Cornut. c. 22) v. 1212 *φθόνησις* (Schol. Luc. Bis accus. c. 21). v. 826 *αὐτόπαις*. v. 700 *ἔκβρωμα* (Eust. opusc. p. 259, 68). v. 922 *ἐυνήτρια*. v. 1125 *πατροφόντης* (Oed. Tyr 1441 Iustin. Mart. p. 67. C.). v. 628 *πρόσδεγμα*.

Adiectiva: v. 954 *ἑστιῶτις*. v. 521 *ὀλόεις*. v. 572 *ἀμφίθρεπτος*. v. 527 *ἀμφινείκητος*. v. 520 *ἀμφίπλεκτος*. v. 930 *ἀμφιπλήξ* (Oed. Tyr. 417). v. 110 *ἀνάνδρωτος*. v. 120 *ἀναπλάκητος* (Oed. Tyr. 472). v. 463 *ἀντίλυρος*. v. 1030 *ἀποτίβατος*. v. 1093 *ἀπροσήγορος* (Oed. Col. 1276. Plut. Mor. 679 A.). v. 687 *ἀρτίχριστος*. v. 676 et 1084 *διάβορος* (Phil. v. 7). v. 777 *διώδυνος*. v. 483 *δύσνιπτος*. v. 791 *δυσπάρευνος*. v. 674 *ἐνδυτήρ*. v. 964 *ἐξόμιλος*. v. 108 *εὔμνηστος*. v. 209 *εὐφαρέτρα* (Arcad. p. 22, 18). v. 1041 *αὐθαίμων* (Lycophr. 1446). v. 188 *βουθερής*. v. 840 *δολόμυθος*. v. 832 *δολοποιός*. v. 1207 *καινοπαθής* v. 1021 *λαθίπονος* (Ai 711) v. 573 *μελάγχολος*. v. 505 *πάμπληκτος* et *παγκόνιτος*. v. 661 *πάγχριστος*. v. 185 *πολύζηλος* (Oed Tyr. 381). v. 273 *πυργώδης*. v. 602 *ταναϋφής*. v. 606 *ταυροσφάγος* (Lycophr. 47). v. 1165 *χαμαικοίτης*.

Verba: v. 1332 *ἐργασείω* (Phil. 1001). v. 605 *ἀμφιδύω* (Schol Aristoph. Thesm 1044). v. 1139 *ἀπαμπλακεῖν*. v. 881 *διαϊστόω* v. 676 *διαρροιζέω*. v. 565 *ἐξαύω*. v. 1103 *καταρρακόω* v. 827 *κατουρίζω*. v. 635 *παραναιετάω*. v. 29 *προκηραίνω*. v 535 *συγκατοικτίζω*. v. 691 *συμπτύσσω* (Dionys. Areop. Eccl. hier. 1, 1, 4 Nicet Ann. 7, p. 119 B. Ioann. Diac ad Hesiod. Theog. p. 540). v. 281 *ὑπερχλιδάω* v. 1210 *ὑπαίθω* (frg. 312 Schol. Hom. Il. I. 123). v. 142 *θυμοφθορέω*. v. 516 *ῥαβδονομέω*. v. 891 *χειροπονέω* (Epiphan I. p. 554. A).

Adverbia desunt in hac fabula

In Philocteta

substantiva extant haec: v. 696 *αἱμάς*. v. 1236 *κερτόμησις*. v. 1438 *παυστήρ*. (El. 304). v. 1338 *ἀριστόμαντις*. v. 534 *εἰσοίκησις*. v. 18 *ἐνθάκησις*. v. 755 *ἐπίσαγμα* (Schol. Aristoph. Nub. 449). v. 565 *συνναυβάτης*. v. 1306 *ψευδοκήρυξ*.

Adiectiva: v. 74 *ἀρνήσιμος*. v. 1262 *πετρήρης*. v. 209 *τρυσάνωρ*. v. 687 *ἀμφίπληκτος*. v. 855 *ἀνόμματος*. (Nonn. Paraphr. Io. c. 9, 10). v. 155 *ἀποκαίριος* (Anth. Pal. 7, 477,1). v. 2 *ἄστειπτος*. v. 7 *διάβορος* (Trach. 676 et 1084.). v. 593. *διώμοτος*. v. 1457 *ἐνδόμυχος* (Callim. Cer. 88 Nonn. Dionys. 8,329). v. 548 *εὔβοτρυς* (Nonn. Dionys. 17,82. Anth. Pal. 9,668, 9). v. 847 *εὐδρακής*. v. 393 *εὔχρυσος*. v. 937 *καταρρώξ* v. 1067 *προσφθεγκτός*. (Anth. Pal. 7,649). v. 1453 *σύμφρουρος*. v. 198 *ἀθυρόστομος*. v. 496. *αὐτόστολος*. (Julian. Anth. Pal. 7,585, 1). v. 594 *βαρυβρώς*. v. 290 *νευροσπαδής* (Const. Manass. Amat. 7,12). v. 32 *οἰκοποιος*. v. 706 *οἰνόχυτος* (Nonn. Dionys. 13,256. 33,74). v. 1148 *οὐρεσιβώτης*, v. 391 *παμβῶτις*. v. 343 *ποικιλόστολος*. v. 1090 *σιτονόμος* v. 35 *φλαυρουργός*

Verba: v. 1001 *ἐργασείω* (Trach 1332). v. 640 *ἀντιοστατέω*. v. 330 *ἐκλωβάομαι*. v. 668 *ἐξεπεύχομαι*. v. 423 *ἐξερύκω*. v. 395 *ἐπαυδάομαι*. v. 368 *καταλγέω* (Polyb. 3,80, 4). v. 1360 *προλεύσσω* (Dioclis Anth. Pal. 6, 186).

Adverbium unum reperitur v. 1189. *μετόπιν* (Apoll. Rh. 4, 1764).

In Oedipode Tyr.

sunt substantiva haec: v. 1422. *γελαστής* (Athen. 6,246, C.). v. 1242 *θυρών* (El. 328; Luc. merc. cond. c. 42) v. 1318. *οἴστρημα* (Epigr. Anth. Pal. 6,51, 3) v. 218 *ἀνακούφισις*. v. 913 *ἐπιθυμίαμα* (Galen. vol. 14, p. 402,5). v. 1322 *ἐπίπολος* v. 483 *οἰωνοθέτης*. v. 1361 *ὁμολεχής*. v. 1441 *πατροφόντης* (Trach 1125) v. 556 *σεμνόμαντις*.

Adiectiva: v. 446 *ἀελλάς* (frg. 614). v. 161 *κυκλόεις* (Anth. Pal. 7, 232). v. 150 *παυστήριος* (Argument. Oed. Tyr; Nicand. Ther. 746). v. 417 *ἀμφιπλήξ* (Trach. 930). v. 472 *ἀναπλάκητος* (Trach 120). v. 423 *ἄνορμος* (Suid. s. *Λισσάδας*

πέτρας). v. 195 ἄπουρος. v. 190. ἄχαλκος (Steph. Thesaur. citat ex Gregor. Naz.). v. 1315 δυσούριστος. v. 1248 δύστεκνος. v. 1350 ἐπιπόδιος. v. 1312 ἐπόψιμος v. 864 εὔσεπτος. v. 188 εὐώψ (Ant. 530 Lycophr. 23). v. 690. παραφρόνιμος. v. 1126. σύναυλος (Ai. 611). v. 214 ἀγλαώψ. z. 164 ἀλεξίμορος (Nonn. Paraphr Io. 12,11; Dionys. 32,217). v. 418. δεινόπους. v. 815 ἐχθροδαίμων. v. 810 ἡδύπολις v 463 θεσπεσιέπεια. v. 186 ὅμαυλος (consonus; cfr. frg. 19). v 211 οἰνώψ (Oed. C. 674) v 864 οἰόζωνος v. 130 ποικιλῳδός. v. 381 πολύζηλος (Trach. 185). v. 866 ὑψίπους. v. 901 χειρόδεικτος. v. 301 χθονοστιβής. v. 209 χυσομίτρης (Athen. 4, p. 130 B.). v. 203 χρυσότροφος.

Verba: v. 515. ἀτλητέω. v. 384 εἰσχειρίζω. v. 1253 ἐκθεάομαι v. 760 ἐξικετεύω (Parthen. Erot. 17, 41) v. 688 καταμβλύνω (Agathias Anth Pal. 5,220). v. 482 περιποτάομαι (Heliod. Aethiop. 2,22. Clem. Alex. p. 53). v. 814 συναντιάζω.

Adverbia reperiuntur nulla in hac fabula.

In Oedipode Col.

extant substantiva: v. 714 ἀκεστήρ. v. 143 ἀλεξήτωρ. (Schol. Od. 23, 198). v. 73 ἄρκεσις. v. 9 θάκησις. v. 103 πέρασις v. 401 ὠφέλησις (El. 1031) v. 390 εὔσοια (frg. 124). v. 218 κατακρυφή. v. 90. ξενόστασις (frg. 258). v. 379 συνασπιστής (Antip. Thessal. Anth. Plan. 184, 1). v. 1588 ὑφηγητήρ (Anth. Pal. 11,819).

Adiectiva: v. 1081 ἀελλαῖος. v. 495. ὁδωτός (Dio Chrysost. vol. 1. p. 175). v 663 πλώσιμος. (Diogen. 6,78). v. 130 et 200 ἄδερκτος. v. 1533 ἀδῄος (Apoll. Rh. 4, 647) v. 1578 αἰέννυπνος v. 1261 ἀκτένιστος (Schol. Apoll. Rh. 3, 50). v. 1069. ἀμπυκτήριος. v. 1276 ἀπροσήγορος (Trach. 1093). v. 1236 ἀπροσόμιλος. v. 1668 ἀσήμων. v. 101. ἀσκέπαρνος. v. 1702 ἀφίλητος. v. 234 ἄφορμος. v. 286 δυσπρόσοπτος. (El. 460). v. 1277 δυσπρόσοιστος. v. 1156 ἔμπολις. v. 27 ἐξοικήσιμος. v. 711 εὐθάλασσος. v. 1704 εὐσκίαστος. v. 1600 εὔχλοος. v. 1059 ἐφέσπερος. v. 157 κάθυδρος. (Polyb. 5,24,4). v. 785 πάραυλος. (Ai. 892 frg. 446). v. 1600 προσόψιος. v 1079 αὔθαιμος. (Anth. Pal. 7,702,2). v. 698 αὐτόποιος. v. 747 βιοστερής. v.

678 *βακχιώτης*. v. 84 *δεινώψ*. v. 1055 *δίστολος*. v. 458 *δημοῦχος*. (v. 1087 et 1348. Diod. Sic 4,29). v. 1054 *ἐγρεμάχας*. v. 1305 *ἑπτάλογχος*. v. 1313 *ἡλιοστερής*. v. 1220 *ἰσοτέλεστος*· v. 682 *καλλίβοτρυς*. v. 1243 *κυματοαγής*. v. 676 *μυριόκαρπος*· v. 475 *νεόκοπος*. v. 349. *νηλίπους*. v 674 *οἰνώψ*. (Oed. Tyr. 211). v. 1563 *παγκευθής*. v. 161 *πάμμορος*. v. 1293 *πάναρχος*. v. 1085 *πάνταρχος*. v. 1592 *πολύσχιστος*. v. 17 *πυκνόπτερος*. v. 1092 *πυκνόστικτος*. v. 691 *στερνοῦχος*. v. 1081 *ταχύρρωστος*· v. 1146 *χαλκοβόας*. v. 1517 *ψευδόφημος*.

Verba: v. 986 *δυστομέω*. v. 1648 *ἐξαπεῖδον*. v. 1378 *ἐξατιμάζω*. v. 1025 *ἐξυφηγέομαι*. v. 1733 *ἐπεναρίζω*. v. 340 *ἱστουργέω*. (Steph. Byz. s. *Δαρσανία*). v. 218 *καταπειλέω*. v. 774 *μετασπάω*. v. 121 *προσπεύθομαι*. v. 1259 *συγκατοικέω*. (Plut. Pericl. c. 20). v. 1127 *ψευδοστομέω* (Luc. Ocyp. c. 8).

Adverbium unum invenitur v. 1621 *λύγδην* (Anastas. Anth. Pal. 15,28,4).

In Fragmentis[1])

haec leguntur substantiva:
frg. 799. *ἄγασμα*. 802 *ἀγωνοθήκη*. 707 *αἰνικτήρ*. 427 *ἄκεστρον*. 220 *ἀλαλία* 73 *ἀλοιμός*. 703 *ἄρυστις*. 81 *ἀστίτης*. 417 *βουστάς*. 861 *βωλόνη* (?) 338 *δανοτής*. 305 *δέαρ*. 868 *δεσπότειρα*. 52 *ἐνστερνομαντίας*.(?) 430 *ἐνουρήθρα*. 51 *ἐνώτη*. 314$^{b.}$ *ἐπιζώστρα*. 270 *ἐπίκρουμα* 8 *ἐπίσιγμα*. 877 *ἔπηλις*. 124 *εὔσοια* (Oed. Col.390). 881 *εὐορνιθία*. 727 *εὐφορβία*. 590 *ἔχθιμα*. 4 *ἑψία* (Schol. Nicand. Ther. 880). 883 *ζευγηλατρίς*. 484 *θῆμα*. 55 *ἱερόλας*. 27 *οἱ κελαινόρρινες*. 43 *κρούπαλον*. 899 *κινάκη*. 90 *οκακκοβόας*. 905 *ληκυθιστής*. 86 *μαιεύτρια*. 409 *μάγνος* (?). 910. *μελλόποσις*. 765 *νικομάχας*. 138 *οἰητής* 678 *οἰμωγός* 285 *ξενόστασις* (Oed. Col 90). 915 *ξάσμα* 342 *παμπληθία* 379 *ποιμαντήρ* 449. *ποντοραύτης*. 765 *πανσανίας*. 227 *στέργημα* (Trach 1138). 562 *σακοθερμίτης*. 940 *σαλάμβη*. (Lycophr. 98). 948 *στραβαλοκόμας*. 955 *φαρκίς*. 956. *φαρμακών*.

Adiectiva: 5 *ἀγύναιξ*. 6. *ἀγχήρης* (Orph. Argon. 1076)· 29 *ἀνθοβοσκός*. 41 *αἰχμόδετος*. 43 *ἀμφίλινος*. 44. *ἀνηκής* 120 *ἀλεξαίθριος*. 133 *αὐτοχειλής*. 135 *ἀμφίπρυμνος*. 168 *ἀρρώξ*

[1]) Numeros sequor Dindorfianos.

(Ant. 251). 211 *ἀγυιαῖος*. 246 *ἀπόθεος*. 249 *αὐτόμορφος*. 268 *ἀντίπλαστος*. 273 *ἀελλόθριξ*. 281 *ἀφύλλωτος*. 309 *ἀλλοτριοφάγος*. (Eust. p. 1404, 13). 336 *ἀβάρβαρος* (?). 351 *ἀσάλπικτος*. 354[a] *ἀντίβοιος*. 367 *ἀστραφής* (Aristid vol. I. p. 310) 376 *ἀσπιδίτης*. 404 *ἀθηρόβρωτος*. 448 *ἀμφήμερος* 469 *ἀπαίων*. 477 *ἀργινεφής*. 502 *ἀποστιβής*. 510 *ἀειφόρος*. 541 *ἀπυνδάκωτος* 551 *ἀπεσκής*. 566 *ἄλημος*. 588 *ἀνοικτίρμων* (Anth. Pal. 7, 303, 5) 589 *ἀρρηνοβοσκός*. 614 *ἀελλάς* (Oed. Tyr. 466), 615 *ἄκλεπτος*. 618 *ἀψεφής*. 680 *ἀνδρόφρων*. 789 *ἀγάμητος*. 803 *ἀδικόχειρ*. 804 *ἀδρέπανος*. 812 *ἄθρακτος*. 823 *ἀκούσιμος*. 834 *ἀμυγνός*. 839 *ἀντήρης*. 845 *ἀπόμορφος*. 849 *ἀσπάθητος* (Dion. Hal. Epit. 16,7 p. 87). 36. *βωμιαῖος* 863 *γλοιάς*. 865 *γύνανδρος*. 84 *δύσαυλος*. (Ant. 355). 148 *διηλιφής*. 164 *διχόστομος*. 429 *δροπός*. 569 *δράκαυλος*. 629 *δρυοπαγής*. 379 *ἐνθαλάσσιος*. 412 *ἐμπερής*. 473. *ἐνδυτήριος*. 489 *ἐνθρίακτος* 875 *ἐνόλμιος*. 136 *ζευξίλεως*. 421 *θηρατήριος*. 520 *ἰσημέριος*. 329 *ἰσοθάνατος*. 334 *ἰσόσπριος*. 271 *κυαμοβόλος* 383 *κατουλάς* (Apoll. Rh. 4,1695). 559 *κατάρβυλος*. 591 *καρπομανής*. 895 *καῦρος*. 391 *λινογενής*. 400 *λεπτοσπάθητος*. 907 *λιτροσκόπος*. 232[b.] *μουσομανής*. (Anth. Pal. 10,16,7). 462[c.] *μαλλόδετος*. 620 *μῶλος* (Nicand. Ther. 32). 19 *ὅμαυλος* (cohabitans; cf. Oed. Tyr. 186). 31 *ὀρθόπτερος*. 469 *ὀξυπλήξ*. 918 *ὁλοσπάς*. 919 *ὁλοστήμονος*. 921 *ὀρθοκέρως*. 922 *ὀρθόφρων*. 16 *παρδαληφόρος*. 68 *πάγξενος*. 230 *ποτιμάστιος*. 381 *πεντέγραμμος* (Luc. Pro lapsu c. 8.) 445 *πάραυλος*. (Ai. 892 Oed. C. 785). 579 *πάγχορτος*. 631 *ῥακτήριος*. 27 *σφηκός*. 362 *σισυρνώδης*. 766 *σκηπτροβάμων*. 947 *στομώδης*. 170 *τεκτόναρχος*. 295 *τρίγομφος* 781 *τετρώριστος*. 15. *φορμικτός*. 232[a.] *χορδότονος*. 320 *χαλκοσκελής*. 954 *φαικός*. 962 *ψακαλοῦχος*.

Verba: 134 *ἀμβλύσκω*. 142 *ἀφεψιάομαι*. 233[a.] *ἀνημερόω*. 239 *ἀποπερκόομαι*. 290 *ἀκρουχέω*. 371 *ἀναστύφω*. 413 *ἀμαλάπτω* (Lycophr. 34). 815 *αἰολίζω*. 820 *ἀκουσείω*. 814 *ἀπολωπίζω*. 846 *ἀποφανόω*. 782 *βακχιόω*. 588 *διατίλλω* (Gregor. Nyss. t. 2. p. 1026). 50 *ἐμπλευρόω*. 79. *ἐπιψάλλω* (Poll. 4,88; Clem. Alex. Strom. 5, p. 674,33); 143 *ἐκβαβάζω*. 157 *ἐκκωπέω*. 190 *ἐξεναρίζω*. 296 *ἐπισχολάζομαι*. 470 *ἐξεπομβρέω* (Tzetz. Hist. 3,59). 470 *ἐπαυχμέω*. 505 *εὐωριάζειν*. 653 *ἐξιονθίζω*. 736 *ἐκ-*

θώπτω. 56 *ἱκτορεύω*. 105. *κατανικάω*. 303 *κωχεύω*. 482 *καλλικοτταβέω*. 619 *κυλλαίνω*. 903 *λαπίζω*. 917 *ὀκριάζω*. 450 *ξανάω* (Nicand. Th. 383). 33 *πυκνομματέω*. 342 *συμπλάζομαι*. 541 *τραπεζόω* (Julian. or. 5, p. 176). 312 *ὑπαίθω* (Trach. 1210). 476 *χυτρίζω*. 959 *χλωραίνω*.

Adverbia: 125 *ἀμφιτέρμως*. 538 *ἀμφιπλίξ*. 810 *ἀθαυμάστως*. 876 *ἐξπηχυστί*. 606 *λάγδην*.

Vita.

Natus sum IX Kal. Febr. a. MDCCCLII. in vico Glessen prope Coloniam sito, patre Winando, matre Catharina e gente Servos, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus et per unum annum Coloniae institutione privata usus anno LXVI in quartam classem gymnasii Friderico-Guilelmi receptus sum. Ibi duos per annos versatus quod tunc eadem in urbe institutum est progymnasium adii, cui inde ab anno LXXI nomen est Kaiser-Wilhelm-Gymnasium, adhuc Guilelmi Schmitzii auspiciis florens Auctumno anni LXXII cum maturitatis testimonium accepissem, literarum universitatis Bonnensis per tria, per quatuor semestria Halensis civis fui. Docuerunt me autem Bonnae viri doctissimi Bernays, Buecheler, Diez, Heimsoeth, Hiller, Klein, Meyer, Simrock, Schaefer, de Sybel, Usener; Halae Bernhardy, Droysen, Duemmler, Haym, Hertzberg, Keil, Kramer, Pott, Zacher. Ut in seminarium historicum reciperer eiusque essem per ter sex menses sodalis factum est Sybeli humanitate. Keilii autem erga me benevolentiae debeo, quod per tria semestria exercitationibus proseminarii itemque societati philologicae interfui. Denique exercitationibus suis historicis ut per sex menses interessem benigne concessit Duemmler. Quos viros omnes egregie de me esse meritos profiteor. Maximas vero gratias et si quid omnino in eo cui deditus sum literarum genere profeci debeo Henrico Keilio et Guilelmo Schmitzio, quorum virorum memoria mihi semper est pie veneranda.

Sententiae controversae.

I.

Soph. Oed. Col. 117. scribendum censeo:

ὅρα. τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ποτ' οὖν;

II.

Ter. Phorm. 173 sq. legendum est:

At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
Quoi de integro est potestas etiam consulendi, quid velis:
Retinere amorem an omittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi eius sit omittendi nec retinendi copia.

III.

Rerum gestarum scriptores a partium studio plane alieni esse nequeunt.

IV.

Lucr. V. 1265 (ed Bernays.) legendum est:

materiemque dolare et levia radere tigna.

V.

Sophoclis versus Electr. 345—351 interpolatos esse censeo.
